



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. IV. De Summo Pontifice,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

44. ciam, & multo minus ad novi orbis partes nondum pervenerit, sicut fides Romanae Ecclesiae; neque illi sperare possint (quidquid dicant) suam sectam aliquando occupaturam esse totum orbem. Cum enim Ecclesia, ut fatentur, jam senue-rit, si eorum congregatio vera est Ecclesia, quomodo in senectute cresceret, quae in sua adolescentia & juventute tam parvum crevit? Imò, quod observatione dignissimum est, sicut à nulla unquam secta, legis Christi fides apud ulla gentes fuisse plantata legitur; ita nulla unquam gens Christianam complexa est fidem, nisi eorum opera, qui cum Ecclesia Romana communionem in fide habuerunt. Nec mirum: *Negotium enim* (inquit Tertullianus) *est haereticis, non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi: hanc magis gloriam capiant, si stantibus ruinam, quam si jacentibus elevationem operentur.*

Denique quod eadem secta non possit dici Apostolica, non minus evidens est, quia Lutherani & Calvinistae suam successionem ab Apostolis ad seipsum, sine ulla interruptione, ostendere nequeunt; ut ab omnibus Patribus fuit jugiter haereticis exprobratum, praesertim vero a Tertulliano libro de praescriptionibus: *Edant* (inquit) *origines Episcoporum suorum, ab initio & per aetates decurrentium; sic enim Ecclesia Catholica & Apostolica census suos deferunt.* Ideoque contra sui temporis haereticos concludit his verbis, supra relatis: *Qua licentia, Appelles, sylvam meam cedis? Qua auctoritate, Marcion, limitem meum commoves? Qua potestate, Valentine, fontes meos disturbas? Mei sunt, jure priori possideo.* Quae certe, mutatis nominibus, Lutherò, Calvino, Zuinglio appositè conveniunt.

Ex his ergo liquet, quatuor verae Ecclesiae notas & perfectiones, soli Romanae Ecclesiae competere, proindeque eam tantum veram fidem, & doctrinam, ac religionem possidere. Unde Hieronymus Epist. 57. ad Damasum: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri, communionem confocior.* Super illam Petram edificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noè non fuerit, peribit, regnante diluvio. Et paulò post: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit.* Hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Et Epist. 58. ad eundem: *Hinc praesidiis fulta mundi Arrianarabies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia, ad se rapere me festinat &c.* Ego interim clamito, si quis Cathedra Petri jungitur, meus est. Concludamus igitur hanc disputationem cum Augustino, & cum S. illo Doctore dicamus: *Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus: illum sicut Patrem, illam sicut matrem: illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam, quia filij ancilla ipsius sumus.*

Agunt hic aliqui de partibus seu membris Ecclesiae, & quaerunt, an homines in statu peccati vel infidelitatis existentes, membra Ecclesiae dici possint? Sed de hoc commodius agemus in Tractatu de Incarnatione disp. 14. ubi de Christo ut Ecclesiae capite disseremus, & utrum sit actu caput hominum in statu peccati vel infidelitatis existentium, art. 2. resolvemus. Unde ad hunc locum Lectorem remittimus.



DISPUTATIO IV.

De Summo Pontifice.

Absoluta disputatione de Ecclesia, agendum est de Romano Pontifice, qui est caput ipsius visibile, & demonstrandum primò, esse veram ac vivam fidei regulam, subindeque in proponendis & definiendis rebus fidei errare non posse. Alias postea quae de illo agitari solent quaestiones, ea quae poterimus brevitate & perspicuitate resolvemus.

ARTICULVS PRIMVS.

Utrum in Ecclesia Dei, sit regula viva & loquens, quae res fidei cum infallibili auctoritate proponat, eaque sit Romanus Pontifex, & legitimus Petri successor?

Haeretici nostri temporis existimant, Scripturam Sacram, non esse regulam quae res fidei cum infallibili auctoritate credendas proponat, sed unumquemque interno Spiritu Sancti ductu ac lumine, ex Scripturis cognoscere, quae ad ipsius salutem necessaria sunt. Brentius tamen apud Bellarminum libro 3. de verbo Dei cap. 3. hoc discrimen inter Principem saecularem & privatam personam constituit, quod Princeps habeat publicam potestatem judicandi de rebus ad fidem & religionem pertinentibus, privata vero personae interno Spiritu Sancti lumine, ea duntaxat ex Scripturis noscere possint, quae ad suam spectant salutem. Idem sentiunt Angli haeretici, qui similiter contendunt, Reges temporales esse supremos Judices controversiarum fidei, & apud illos supremam potestatem non solum temporalem, sed etiam spirituales residere. Catholici vero omnes unanimiter docent, praeter Scripturas Canonicas, & traditiones, dari regulam vivam, quae sit infallibilis auctoritatis in proponendis definiendisque rebus fidei, quam omnes sequi tenentur; talemque regulam dicunt esse Summum Pontificem, ex cathedra loquentem: quamvis gravis inter illos sit disceptatio & controversia, in explicando quid sit Pontificem ex cathedra loqui: aliqui enim existimant, Pontificem solum loqui ex cathedra, quando praestit Concilio Generali; alij vero contendunt, illum loqui ex cathedra, quotiescumque sive in Concilio, sive extra Concilium, ut Pastor universalis, aliquid authenticè proponit toti Ecclesiae, tanquam credendum de fide divina. Verum ab hac celebri difficultate & controversia, quae tot rumbres in Gallia excitavit, abstrahemus in praesenti, solumque contra hujus temporis haereticos demonstrare conabimur, dari in Ecclesia Dei, praeter Scripturam & Traditionem, quae sunt regulae mutae & mortuae, regulam aliquam vivam & loquentem, nimirum Romanum Pontificem, & legitimum Petri successorem, ut ex cathedra loquentem, & fidei controversias definiens, praescindendo ab hoc quod illas vel intra vel extra Concilium definiat.

§. I.

Haereticorum error refellitur.

2. **D**ico primò, omnino debere admitti in Ecclesia Christiana, aliquam fidei regulam vivam, quæ humano & sensibili modo, possit infallibiliter proponere res fidei, & controversias definire; seu iudicem aliquem certum atque visibilem, qui infallibili & irrefragabili auctoritate lites circa fidem exortas dirimat.

Probatum primò: In omni Republica bene ordinata, præter leges scriptas, est aliquis animatus Iudex, cujus munus sit leges interpretari, & juxta legum interpretationem sententiam ferre. Unde Deuteron. 17. divinâ lege statuitur, ut quodcumque ambiguum & difficile acciderit, deferatur ad Sacerdotes Levitici generis, ab iisque exquiratur sententia, & qui parere noluerit, decreto Iudicis moriatur, & 2. Paralip. 10. Josaphat Rex Juda constituit in Jerusalem Sacerdotes, ut iudicarent causas sacras, distinctos à Iudicibus causarum civilium: Ergo à fortiori in Ecclesia Christiana, aliqua fidei regula viva & loquens admitti debet, seu aliquis animatus Iudex, qui auctoritatem habeat dirimendi controversias, quæ de rebus fidei oriri solent.

3. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Sicut pessimè gubernaretur Respublica, quæ leges quidem bonas haberet, sed nullos Iudices qui jus dicerent litigantibus, præter ipsum librum legis, ad quem omnes mitterentur, ut ex eo discerent quiseorum jus haberet, sic enim nunquam lites terminarentur, sed illi tandiu disputarent, donec alter se victum fateretur, quod vix unquam fieret. Ita plane Ecclesia & Respublica Christiana, male omnino erit ordinata à Christo, si præter librum legis, quæst Scriptura, de Iudice aliquo animato, qui auctoritatem habeat dirimendi controversias & lites circa fidem exortas, illi non providit; absurdum enim est in rebus tanti momenti agnoscere solum Iudicem surdum & mutum, cujus sententiâ utraque pars uti possit, eamque ad suum sensum trahere & corrumpere; ut de Scriptura constat ipsorum hæreticorum exemplo, illi enim eadem Scripturæ verba in contrarios sensus explicant, ut Arriani & Nestoriani, verba hæc, *Ego & Pater unum sumus*, explicant secundum unitatem affectûs & voluntatis: reliqui, etiam hæretici, secundum unitatem naturæ. Sabelliani hæc verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, intelligunt secundum diversa munia & officia, quæ Deus ad extra operatur: reliqui, etiam hæretici, secundum realem Divinarum Personarum distinctionem. Anabaptistæ verba illa, *Baptizâtes &c. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, interpretantur solum de adultis, exclusis parvulis, quos Baptismi capaces esse negant; reliqui etiam de parvulis ea intelligunt. Zuingliani & Calvinistæ verba, *Hoc est corpus meum*, intelligi volunt figuratè & tropicè, reliqui literaliter & substantivè. Unde Vincentius Lyrinensis in aureo illo opusculo adversus hæreses & prophanas vocum novitates: *Hic forsan* (inquit) *requirat aliquis, cum sit perfectus Scripturarum canon, sibi que ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei Ecclesiastica intelligentia jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ista sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter.*

A alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illius sententiæ ejus posse videntur.

Adde quod, Scriptura non continet omnia quæ debent fide divinâ credi: v. g. quòd hæretici non sint rebaptizandi: *Credo* (inquit Augustinus) *consuetudinem* (non rebaptizandi hæreticos) *ex Apostolica auctoritate venire*, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum (Apostolorum scilicet) neque in Conciliis posteriorum; & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata traduntur. Ergo Scriptura quæ hoc & alia hujusmodi non continet, non potest sola de illis judicare. Præterquam quod Scriptura ipsa eget iudice vivo & loquente, quo nobis constet infallibiliter ipsam esse divinam, & tot libros esse verè Canonicos, & puros, atque integros; id enim nobis non certò constat & infallibiliter, nisi Ecclesiæ auctoritate, juxta illud Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret auctoritas.*

Dico secundò, spiritum privatum, discernentem veram Scripturam à non vera, & verum sensum à falso, non esse fidei regulam, & iudicem controversiarum quæ de rebus fidei oriri solent.

Probatum breviter: Regula debet esse nota & infallibilis: Sed spiritus ille privatus neutram habet ex his duabus conditionibus: non primam, quia ad summum innotescit tantum illi qui talem spiritum habet: neque secundam, cum enim omnes hæretici hujus temporis variarum sectarum, profiteantur se spiritum illum habere & sequi, atque inter se contraria doceant, & in fide dissideant, manifestum est aliquos falli, & spiritum veritatis non assistere unicuique infallibiliter. Adde quod spiritus ille privatus est seminarium omnium hæresum, quibus aperit viam, suos enim enim errores quique hoc spiritui prætexit. Præterquam quod hic modus est alienus à consuetò ordine, quo Deus utitur cum suis creaturis intellectualibus, quas non immediatè & per seipsum, sed per alias instruere solet, ut constat ex Scriptura in qua leguntur homines mitti ad homines, de rebus fidei instruendi, ut Cornelius ad Petrum, Paulus ad Ananiam, Eunuchus ad Philippum: quem ordinem Deus servat etiam cum Angelis, quorum inferiores instruunt & illuminant per superiores, ut in Tractu de Angelis ostensum est.

Dico tertio, nullus Princeps politicus & secularis, potest esse Iudex controversiarum fidei.

Probatum primò: Potestas judicandi de rebus fidei est supernaturalis, utpote per se ordinata ad finem supernaturalem, quæ est salus æterna hominum: Sed potestas Principum secularium, naturalis & civilis est, cum ad bonum politicum conservandum ordinetur: Ergo nullius politici Principis potestas potest se extendere ad judicanda & definienda ea quæ fidem supernaturalem concernunt. Unde Basilii Imperator in 8. Synodo actione 10. sic loquitur: *De vobis autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere: hæc enim investigare & querere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sacrificandi, qui ligandi & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticis & celestibus adepti sunt claves: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento*

sejovi egemus. Et Theodosius junior in Epistola A ad Synodum Ephesinam: *Illicium est (inquit) eum qui non sit ex ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Item Constantinus magnus apud Rufinum lib. 10. historię cap. 10. sic ait Episcopis, qui ad Nicenam Synodum convenerant: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur &c.* Et ideo his omisissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distinguite. Et quamvis Concilio interfuerit, non tamen ut suffragium ferret, vel causam propriam sententiâ definiret, aut legem ullam inconsultis Patribus stateret, sed ut Eusebius apud Baronium ait: *Ut paci studeret, faveret veritati, foveret concordiam, tumultus comprimeret, à veritate discrepantes revocaret.* Unde Ambrosius Epist. 22. ad Valentinianum Imperatorem: *Si conferendum de fide (inquit) Sacerdotum debet esse ista collatio: sicut factum est sub Constantino Augusta memoria Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Demum Athanasius in Epistola ad Solitarium vitam agentes, prope finem, loquens de Constantio Imperatore, qui de rebus fidei & Ecclesiasticis judicare præsumpserat, sic ait, *Quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere iudiciis Ecclesiasticis, non merito dicat eum illam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est?* Refert quoque ibidem Hosium Cordubensem Episcopum, eundem Imperatorem disceptationibus Ecclesiasticis de fide rebus se immiscerentem, graviter admonuisse, his verbis: *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesia concedidit, & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divine: ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesia ad te trahens, crimini obnoxius fias.* Plura his similia videri possunt apud Gregorium Nazianzenum Orat. 17. Chrysostomum homil. 15. in 2. ad Corinth. & Ambrosium lib. 5. Epist. 35.

7. Probatur secundò conclusio ex perpetuo usu Ecclesiæ, quæ iudicium de fidei controversiis nunquam derulit ad Reges & Principes sæculares, aut quemcumque alium Magistratum Politicum, sed ad Romanum Pontificem Christi Vicarium, aliosque Prælatos tunc Ecclesiam regentes. Nam primò initio nascentis Ecclesiæ in controversia illa an Mosaiscæ ceremoniæ servandæ essent à Christianis recens à gentilismo conversis, recursum est ad Apostolos, qui Concilio de hac re Jerosolymis coacto, quæstionem definierunt in hunc modum: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c.* Sæculo secundo, controversia exorta de celebratione Paschæ, à Victore Pontifice Romano, post multa Concilia determinata fuit; & excommunicati primùm, ac deinde habiti pro hæreticis, & *Quartodecimani* appellati, qui ejus decreto parere recusarunt. Sæculo tertio hæresis Novatianorum, negantium penitentiam lapsis post baptismum, damnata fuit à Cornelio Papa, cum Concilio Romæ habito anno 255. Item eodem sæculo controversia illa diu in Africa & Oriente, tempore Cypriani agitata, an rebaptizandi essent qui ab hæreticis baptizati fuissent, decisa est à Stephano Pontifice Romano anno 258. & hæretici habiti sunt omnes, qui contrarium pertinaciter sentiebant. Quarto sæculo ad cognoscendam examinandamque Arrij hæresim,

Tom. IV.

non est recursum ad Principes sæculares, sed ad Episcopos Ecclesiæ, qui 318. in Concilio Nicæno congregati, præsentibus Legatis, nomine Sylvestri Romani Pontificis, illam damnarunt anno 325. Sæculo quinto hæresis Pelagiana ab Innocentio, Cælestino, Zozimo, & Bonifacio damnata est, & Nestoriana ab eodem Cælestino & Concilio Ephesino. Sæculo sexto hæresis Eutychiana à Leone I. & Chalcedonensi Concilio. Sæculo septimo, Monothelitz à sexta Synodo generali sub Agathone Summo Pontifice damnati sunt. Sæculo octavo, Iconomachi à Nicæno secundo, & sic de reliquis, usque ad hæresim Lutheranam & Calvinianam, præcedenti sæculo damnatam à Tridentina Synodo.

B. Dico quartò, Romanum Pontificem, ex Cathedrali loquentem, esse infallibilem regulam fidei, & iudicem controversiarum.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in præcedentibus: Ut enim conclusio primâ ostensum est, aliquis iudex in Ecclesia necessarius est, qui auctoritatem habeat dirimendi controversias de rebus fidei: Sed talis iudex non potest esse Scriptura, vel privatus uniuscujusque spiritus, aut Princeps aliquis sæcularis, ut ibidem, & duabus sequentibus conclusionibus demonstravimus: Ergo debet esse Princeps aliquis Ecclesiasticus, qui à Deo immediatè habeat auctoritatem declarandi verum sensum Scripturæ, nimirum Pontifex Romanus, legitimus Petri successor, & Christi Vicarius. Unde Innocentius III. cap. *Quoribus* 24. quæst. 1. *Quoribus ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum, id est sui nominis honorem & auctoritatem habentem, recurrendum est.* Et in capite *Majores*, de Baptismo & ejus effectu, sic habet: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim circa articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exorasse ne deficeret fides ejus.* Item Bernardus Epist. 190. ad Innocentium Summum Pontificem: *Oportet (inquit) ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt: dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum: hæc quippe hujus prerogativa sedis, cui enim aliquando dictum est, Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando confirma fratres tuos. In eo plane Petri implevis vicem, cujus teneris & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate convertitis fidei corruptores.* Demum Cyrtianus Epist. 55. asserit quod non aliunde hæreses oborta sunt, aut nata schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus iudex vice Christi cogitur.

E. Propter hæc & alia plurima id genus, meritò Schola Parisiensis, in errorum Malefoni refutatione, quæ habetur in fine libri quarti sententiarum, ita pronuntiavit conclusione primâ: *Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali supremâ, circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire, ex eo quod fides nunquam ex vi promissionis Christi Petro factæ poterit deficere.* Item refertur in Summa Conciliorum, in vita & gestis Sixti IV. quod damnatus fuit Petrus Oxomensis, Clericus sæcularis, & Doctor Parisiensis, in congregatione Doctorum quinquaginta duo, Compluti habita, per Alphonsum Carilum, Archiepiscopum Toletanum, anno 1479.

Ll iij

eò quòd inter cætera assereret, Urbis Romæ Ecclesiam in fide errare posse, id est, Sedem Apostolicam. Fuitque illa condemnatio per specialem Extravagantem confirmata à Sixto IV. Et Doctor ille sententiam suam retractare coactus, combustis publicè ejus libris, & cathedra in qua docuerat: ut referunt post Mirandam, in Summa Conciliorum, loco suprà citato, Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. disp. de Ecclesia, & Andreas Du Vallius, Doctor Sorbonicus, in Tractatu de summa Summi Pontificis potestate quæst. 6. paginà 772.

§. II.

Solvuntur Hereticorum objectiones.

10. **O**bjiciunt in primis Hæretici contra primam conclusionem: In lege Naturali & Mosai- ca, nulla fuit regula viva, quæ fidei controversias dirimeret: Ergo nec illa debet admitti in lege Evangelica.

Respondeo negando. Antecedens, fuit enim in lege etiam Naturali & Mosai- ca talis aliqua regula, nempe judicium & sententia Majorum & Sacerdotum circa divinas traditiones scriptas vel non scriptas, ubi dubitatio occurrebat, juxta illud Deuteronomio 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, &c. Venies ad Sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem, &c. qui judicabunt tibi iudicii veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præsumt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.*

Neque obsunt verba illa, & docuerint te juxta legem ejus. Non enim sensus eorum est, quod parendum esset Sacerdotibus, quando quisque privatus judicasset esse juxta legem locutos; sic enim esset vanum id tribunal, cujus singuli essent supremi Judices, & Deus eos constituisset Judices suorum Judicium: sed sensus est absolutus, quod Sacerdotes tales forent locuturi juxta legem. Vel illud, *juxta legem*, non refertur ad docuerint, sed ad facies, ut indicat clarè textus Hebraicus, qui ad verbum sic habet: *Secundum legem quam docebunt te, & secundum judicium quod dicent tibi, facies.* Et versio Septuaginta, *Et custodies valde facere secundum omnia quæ statuta fuerint tibi. Secundum legem, & secundum judicium quod dixerint tibi, facies.*

11. **O**bjiciunt secundo: Ad credendum sufficit revelatio divina sufficienter proposita per argumenta credibilitatis: Ergo non est opus alià regula.

Respondeo, revelationem divinam sufficere quidem ad ea credenda quæ per eam distinctè & expressè proponuntur; sed non ad credenda ea quæ confusè tantùm proponuntur, aut non ita expressè, ut locus esse possit dubitationi & controversiæ de vero sensu revelationis, cujus sufficientia ad credendum distinctè, completur per regulam vivam, ea quæ credenda sunt clarè & distinctè proponentem.

12. **O**bjiciunt tertio: Vel hæc regula animata in definiendis rebus fidei, non eget alijs regulis fidei, & sic reliquæ erunt superflue; vel eget, & tunc ipsa non erit regula, sed potius regulata, cum nequeat sine regula dirigi.

Confirmatur: Vel talis regula esset divina, vel humana? Non divina, quia præter Scripturam Sacram, nulla datur. Nec humana, quia omnis

regula humana est fallibilis, cum omnis homo sit mendax.

Confirmatur ampliùs: Ex Scriptura probatur hæc regula, & rursus ex testimonio hujus regulæ probatur Scripturam esse Canonicam & Authenticam: Ergo committitur vitiosus circulus, & idem probatur per idem.

Ad objectionem respondeo, regulam animatam in definiendis rebus fidei indigere regulis traditis & scriptis, cum ipsa non sit regula per essentiam, ut est Deus, seu prima veritas revelans; neque credenda definire per novas & immediatas revelationes, ut Prophetæ & Apostoli, sed per infallibilem duntaxat interpretationem eorum quæ hæcenus Ecclesiæ factæ sunt. Unde dicitur tantùm suprema in proponendo: inter quam & reliquas hoc interest, quòd reliquæ continent objectum credendum fidei divinæ, solumque egent sufficienti applicatione; hæc vero tantùm proponit & definit quodnam sit objectum credendum: atque in hoc sensu habet assistentiam Spiritus Sancti, ne erret in proponendo unum pro alio.

Ad primam confirmationem dico, hujusmodi regulam esse divinam, non minùs quam Scripturam, vel Traditionem, cum non minùs immediatam auctoritatem habeat à Deo, à quo utraque æqualem accipit in suo genere infallibilitatem; hæc in proponendo, illa in testificando. Sicut tam lex scripta, quam animatus Index ab eodem Principe constitutus, eandem habent in suo genere auctoritatem, illa in obligando, hæc in sententia & iudicio ferendo.

Ad illud verò quod dicitur in secunda confirmatione de circulo vitioso, suprà disp. 1. art. 1. §. 1. in fine responsum est, potestque in ipsos hæreticos retorqueri, qui in talem circulum revera incidunt, cum Scripturam, ejusque sensum verum, non certò agnoscant, nisi ex spiritu privato; & spiritum privatum non aliunde probent, quàm ex ipsa Scriptura, ipsomet spiritu privato intellecta in hunc sensum. Incidunt etiam in id quod Manichæis exprobrat Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 19. *Videatis* (inquit) *id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & suis cuique animus auctor sit quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, id est ut non auctoritati Scripturarum subiciatur ad fidem, sed ut sibi Scripturas ipse subiciat: non ut idèo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed idèo rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta, quò te committis?*

Contra tertiam conclusionem in qua diximus, nullum Principem secularem esse Judicem controversiarum fidei, objiciunt Angli hæretici primò exemplum Moysis, Josué, Davidis, & aliorum quorundam Regum veteris Testamenti, qui in causis spiritualibus interdum Judices egerunt. Opponunt etiam exempla quorundam Principum Christianorum, qui Concilia convocarunt, illisque præfuerunt, quibusve ipsa Concilia ultimam sententiam & approbationem detulerunt, ut Carolo Magno Concilium Arelatense, cujus verba hæc sunt cap. ultimo post decreta omnia: *Hæc Domino Imperatori presentanda decrevimus, poscentes ejus Clementiam, ut si quid hic minus sit, ejus prudentiâ supplicetur. Si quid secus quàm se ratio habet, ejus iudicio emendetur. Si quid rationabiliter taxatum est, ejus ad-*

jurio divina opitulante clementia perficiatur. Aliqui etiam Imperatores Christiani leges sanxerunt circa fidem & res Ecclesiasticas, ut videre est in Codice lib. 1. Tit. 1. & aliquot sequentibus, & in Novellis Justiniani. Addunt, tempore legis naturalis, quo jus tantum naturale servabatur, Regiam & Sacerdotalem potestatem fuisse conjunctas, ut patet in Melchisedech, & in primogenitis ex stirpe Noë, qui erant simul Reges & Sacerdotes, ut docent Hieronymus Epist. 126. ad Evagrium, & Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 6. Ergo cum gratia non destruat naturam, sed perficiat, potestas Sacerdotalis & Regia in lege Evangelica junctæ sunt, Regesque Christiani supremam potestatem non solum temporalem, sed etiam spirituales habent, ideoque a SS. Patribus Dei Vicarij appellantur: Augustinus enim in libro questionum veteris & novi Testamenti quest. 91. de Rege sic ait: *Adoratur in terris quasi Vicarius Dei.* Et Eleutherius Papa in Epistola quadam ad Lucium Britanniae Regem, sic eum alloquitur: *Vos in regno vestro Vicarius Dei estis.* Tertullianus etiam in libro ad Scapulam: *Colimus* (inquit) *Imperatorem quomodo nobis licet, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consequutum, solo Deo minorem; sic enim omnibus major est, dum solo Deo minor est.*

26. Hæc sunt præcipua Anglorum hæreticorum fundamenta, quæ facile dilui possunt. Ad exempla enim Moyſis, Josue, & Davidis, dico Moysem fuisse Ducem & Sacerdotem, juxta illud Psalmi 68. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus:* Josue verò nunquam de causis spiritualibus judicasse, Davidem autem tanquam Prophetam, illud interdum extraordinarie & ex speciali instinctu Spiritus Sancti facere potuisse, quod in regulam & exemplum commune trahi non debet. Unde Josaphat Rex optimus, & sapientissimus, utraque officia Regis & Sacerdotis manifestè distinguit: nam 2. Paralip. 19. sic Sacerdotes alloquitur: *Omnem causam que venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognitionem & cognitionem, ubicumque questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Domino.* Amasias autem, Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent præsidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Quibus verbis clarissimè distinguit officium Regis, ab officio Pontificis & Sacerdotum, & istis solis tribuit judicium de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, & regimen eorum quæ ad Deum pertinent.

17. Ad exempla desumpta ex Principibus Christianis, respondeo Imperatores aliquos Christianos, hortatos quidem esse Pontifices ad convocanda Concilia, atque etiam suam auctoritatem interposuisse ad tollenda obstacula quæ eorum celebrationem impediabant, ea tamen auctoritate propria non convocasse aut celebrasse, & multo minus eorum definitiones approbasse, vel confirmasse. Si verò aliqui id præsumperint, ut de Justiniano affirmat Baronius, ad annum Christi 528. & 549. paucorum abusus non est sufficiens fundamentum affirmandi hanc potestatem fuisse concessam Principibus secularibus, quam optimi quique Principes & Imperatores non sibi competere professi sunt, ut de Basilio, Theodosio, Constantino Magno supra vidimus. Idem de Valenti-

A niano seniore scribit Ambrosius Epist. 32. ad Valentinianum juniorem, ubi sic eum alloquitur: *Pater tuus Deo favente vir maturioris ævi dicebat: non est meum judicare inter Episcopos, hæcque veritatem non voce tantum, sed legibus etiam publicis ab illo sancitam fuisse, ibidem affirmat. Unde est illud celebre dictum Joannis Papæ cap. Si Imperator 96. dist. Si Imperator Catholicus est, filius est non præsul Ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere.*

18. Quoad Patres Concilij Arelatenſis, dicendum est, eos petiisse tantum à Carolo Magno protectionem & executionem suorum decretorum, ut ex ultimis eorum verbis constat: reliqua verò modestiæ & urbanitatis causâ dixisse Imperatori religiosissimo & sapientissimo; unde ex illis nulum sumi potest indicium spiritualis potestatis in Imperatore, vel subjectionis Concilij ipsius sententiæ, in dubiis fidei, aut rebus aliis spiritualibus.

19. Denique constitutiones Justiniani & aliorum Imperatorum circa fidem & res Ecclesiasticas, non sunt novæ sanctiones, sed intimationes Canonum jam ab Ecclesiâ latorum, ut Judices sæculares, & alij ipsorum potestati subjeçti, intelligerent quid circa illos tenendum aut exequendum esset, scirentque suæ voluntatis esse, ut exaçtè servarentur. Debet enim in eo potestas regia & secularis juvare Ecclesiasticam & spirituales, ut rectè Leo I. Epist. 81. Imperatorem Leonem admonuit, his verbis: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem iis quæ sunt turbata restituas.*

20. Ad id quod subditur de lege naturæ, respondeo in eo statu potestatem Regiam & Sacerdotalem non fuisse junctas jure naturali, sed id ex libera hominum institutione factum esse; cum enim in lege naturæ Deus non determinasset aliquos specialiter per quos vellet sacrificia sibi offerri & res sacras tractari, potestas Sacerdotalis erat merè humana, id est humanæ institutionis, nec spirituales aliquam jurisdictionem includebat, sicut in lege Mosaica & Evangelica: quare licet in statu naturæ Melchisedech, & primogeniti ex stirpe Noë simul essent Reges & Sacerdotes; in lege tamen Mosaica & Evangelica, potestas Regia & Sacerdotalis ab invicem separata sunt, ut eleganter declarat Hugo Victorinus de sacram. parte 2. his verbis: *Duo sunt vitæ, una terrena, & alia spiritualis: ut autem utraque in justitia servetur, & utilitas proveniat, utique distributi sunt quæ utriusque bona secundum necessitatem procurant.*

E Unde Reges dicuntur Dei Vicarij in temporalibus, Pontifices verò in spiritualibus. Præterquam quod liber questionum veteris & novi Testamenti, non est Augustini, & Epistola Eleutherij citata, spuria est, recensque ab hæreticis conficta, ut notat Sanderus lib. 1. de clave David cap. 6.

21. Contra ultimam conclusionem objiciunt Hæretici: Si præter Scripturam habeamus in Ecclesiâ vivum oraculum, quo res fidei clarè proponantur, & controversiæ dirimantur, sequitur frustra fore Scripturam ad explicandas & dirimendas controversias fidei; imò & Papam cum Concilio fore supra Scripturam, cum de ea judicet quoad litteram, vel quoad sensum.

Sed nego utramque sequelam: Sicut enim Ju-

dices supremi in foro civili non excludunt leges scriptas, sed eas supponunt & sequuntur: sic nec Summi Pontifices & Concilia, quamvis habeant supremam in dirimendis fidei controversiis auctoritatem, non excludunt regulam Scripturæ & Traditionum Divinarum, sed potius iis utuntur in dirimendis fidei controversiis; quia, ut supra dicebamus, non docent per novas & privatas revelationes, sed per explicationem & applicationem Scripturarum & divinarum Traditionum. Similiter sicut Judex constitutus à Principe, non est supra leges Principis, licet habeat supremam potestatem sub illo judicandi & tales leges explicandi; sic nec Summi Pontifices & Concilia supra Scripturam esse dicendi sunt, quamvis eam explicandi, & de illius sensu judicandi, supremam & infallibilem habeant auctoritatem & potestatem.

§. III.

Alia obiectio solvitur.

23.

Objiciunt demum Hæretici contra eandem conclusionem: Regula fidei errare non potest: At Summus Pontifex in fide errare potest: Ergo regula fidei non est. Major patet: Minorem verò probant Hæretici variis exemplis Romanorum Pontificum, qui in suis definitionibus errasse videntur. In primis enim Liberius, ut apud Bellarminum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 9. testatur Athanasius & Hieronymus, exilij tædio perterritus, damnationi D. Athanasij ab hæreticis Arrianis factæ, fideique formulæ, nomine consubstantialis carenti, subscripsit, quod certè fuit hæresim approbare. Felix etiam qui Liberio successit, Arrianus fuit, ut testatur Hieronymus in Catalogo Scriptorum, in Acacio, his verbis: *In tantum autem sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberij locum, Felicem Arrianum, Episcopum constitueret.* Tertio Vigilius Epistolam scripsit ad Theodoram Augustam, in quo Monothelitarum hæresim confirmat, & anathema dicit iis qui consentiunt duas in Christo naturas, ut refert Liberatus in Breviario cap. 22. Quarto, Honorius I. in eandem Monothelitarum hæresim incidit, nam in suis ad Sergium Constantinopolitanum Epistolis, unicam asseruit in Christo voluntatem, & aliter prædicare vernit. Unde in sexta Synodo art. 13. damnatus fuit tanquam Hæreticus, ejusque Epistolæ combustæ, & in septima Synodo art. ultimo totum Concilium dicit Anathema Honorio, Sergio, Cyro, & cæteris Monothelitis. Quinto, Stephanus VI. & Sergius III. irritaverunt, ut Platina narrat, omnia acta Formosi prædecessoris, contra verò Joannes IX. irritavit acta Stephani VI. & Sergij III. & approbavit acta Formosi: Ergo necessariò alteruter falsum dixit, & erravit. Sexto, vel erravit Nicolaus IV. vel Joannes XXII. quorum alter cap. *Exiit*, de verborum significationibus in sexto, definivit Christum verbo & exemplo docuisse perfectam paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnium rerum, nullo sibi dominio relicto, neque in particulari, neque in communi: alter verò in Extravag. *Ad Conditorum Canonum*, & *Cum inter nonnullos*, & *Quia quorundam*, declarat, talem paupertatem esse impossibilem in rebus usu consumptilibus, & hæreticum esse asserere, Christum talem paupertatem verbo & exemplo docuisse. Demum idem Pontifex docuit animas non visuras Deum ante resurrectionem, cujus oppositum de-

A finivit Benedictus XII. qui ei successit, & Concilium Florentinum in decreto Eugenij.

Respondendo concessâ Majori, negando Minorem, & ad primam probationem de Liberio, dico quod quamvis graviter deliquerit, Arrianorum hæresi, & condemnationi Athanasij subscribendo, non tamen propterea dici posse, illū verè fuisse hæreticum, aut hæresim docuisse; quia invitus & coactus, & minis ac terroribus compulsus, tali hæresi & condemnationi subscripsit: hoc autem non est hæresim ex cathedra docere, sed ut privatam personam, ad evitandam exilij pœnam, in hæresim, extrinseco solum signo consentire, uti etiam fecit Marcellinus, qui metu mortis idolis thus obtulit: vel sicut ipse D. Petrus, Christum ore non corde negando, confessionem fidei, non verò ipsam fidem amisit; ut docent SS. Patres, Tertullianus lib. de fuga in persecutione, Ambrosius in Psal. 43. & Aurelius Prudentius in libro Catemerinon, id est rerum diurnarum, hymno 1. ubi habet hos versus:

*Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas:
Cum mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem.*

Ad secundam probationem de Felice, similiter dico, illum nunquam fuisse Arrianum, licet cum Arrianis communicaverit, medio illo tempore, quo adhuc in exilio vivente Liberio, verus Pontifex non erat. Ubi autem verus Pontifex esse cepit, non solum à communione Arrianorum abstinuit, sed & Constantium Imperatorem ut hæreticum damnavit, ut constat ex ipsius sepulchro invento in Basilica SS. Cosmæ & Damiani anno 1382. die 20. Julij, cum hac inscriptione: *Hic jacet corpus sancti Felicis Papæ & Martyris, qui Constantium hæreticum damnavit*: ut referunt Baronius anno 357. & Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 9.

Ad tertiam probationem de Vigilio, dico illum quidem errasse scribendo Epistolam ad Theodoram Augustam, in qua Monothelitarum hæresim confirmabat, sed hoc Apostolicæ Sedis auctoritati & infallibilitati nihil officere, tum quia illam non scripsit ut Pontifex, obligando fideles ad illam amplectendam: tum etiam, quia illam scripsit, quando non erat verus Pontifex, sed Antipapa. Fuit enim operâ Bellizarij, mandante Theodorâ, à sede expulsus Sylverius, verus Pontifex, & in exilium missus, ejusque loco intrusus Vigilius, qui ad gratificandum Imperatrici hæreticæ, cujus ope & favore fuerat in sedem intrusus, eam Epistolam scripsit: cum verò potest, defuncto Sylverio, cepit ut legitimus Pastor ex Petri Cathedra docere, nullus fuit in eo notatus error: quin, ut Platina narrat, operâ Theodoræ Romæ captus, & Constantinopolim ductus, ut promissum de restituendo Anthemio hæretico in Patriarchatum, à quo fuerat à suis prædecessoribus depositus, adimpleret: tantum abest ut in tam nefariam petitionem consentiret, ut ipsam Imperatricem, cum omnibus aliis hæreticis, excommunicaverit. In cujus confirmationem accedit illustre testimonium D. Gregorij lib. 2. Epist. 36. hæc scribentis: *Recordanda memoria Vigilius Papa, in urbe Regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam, vel Acephalos, damnationis promulgavit sententiâ.* Unde meritò Romanis Pontificibus applicari potest quod de Pontificibus legis Moisaicæ Augustinus ait Epist. 166.

& lib. 4. de doctrina Christiana cap. 27. *Illa ergo Cathedra, non eorum, sed Moysis, coegit eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua: docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena. Ex quibus vulgatum hoc à nonnullis colligitur: Tanta vis est Cathedra, ut cogat benedicere malè sentientem, & nec sua, sed aliena, docere permittat.*

27. Ad quartam de Honorio duplex est responsio. Prima est aliquorum, qui fatentur quidem Honorium in hæresim Monothelitarum lapsum fuisse, negant tamen propterea aliquid contrarium fidei unquam ab eo definitum fuisse: licet enim (inquiunt) duabus litteris ad Sergium scriptis, hæresim Monothelitarum approbaverit, tamen quia illæ duæ Epistolæ erant privatæ, ad solos Episcopos Orientis, non verò ad universalem Ecclesiam scriptæ, nec sub interminatione anathematis in illis prohibuit docere vel sentire contrarium, non continebant definitionem Summi Pontificis, sed tantum ejus opinionem tanquam Doctoris particularis.

28. Respondent secundo alij, negando Honorium Monothelitis favisse, & in eorum hæresim unquam lapsum fuisse, idque probant ex quadam Epistola Agathonis Papæ, in sexta Synodo act. 8. approbata, in qua Agatholatus ostendit, nullum prædecessorum suorum, à fide Catholica defecisse, numerantque ac damnans eos qui hæresim Monothelitarum defenderant, inter eos non numerat Honorium, sed Sanctam Sedem Apostolicam eximit; quod item facit Concilium Romanum, ante sextam Synodum, contra eundem Monothelitarum errorem, sub Martino Papa celebratum. Ad probationem verò in contrarium, ex litteris Honorij ad Sergium Constantinopolitanum desumptam, dicunt quod in illis tantum docet de una aut duabus operationibus in Christo tacendum esse, ne qui dicerent unicam in Christo operationem fuisse, Eutycheti, unicam in Christo naturam asserenti, favere viderentur; & qui duas admitterent, hæresim Nestorij, duas in Christo personas affirmantis, defendere viderentur. Prudenter autem id egisse, quia ex una parte quæstio de duplici vel unica Christi voluntate, nondum esset ab Ecclesia definita; aliunde verò non sine causa timeret, ne hæc quæstio grave aliquod schisma in Ecclesia pareret, poterat, imò debebat, conciliare utramque opinionem affirmativam & negativam, sicque tollere scandali & contentionis materiam.

29. Si istos, Honorium in secunda Epistola apertè prædicare in Christo unam tantum voluntatem, his verbis: *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi.* Respondent eo loco Honorium locutum fuisse de Christo, præcisè ut homine, ita ut dicere tantum voluerit, non fuisse in homine Christo duas pugnantibus voluntates, unam carnis, alteram spiritus, sed unam tantum, nimirum spiritus, quia caro in Christo nihil absolute appetebat contra rationem. Idque constare dicunt ex celebri illa disputatione inter Pirrhum, & Maximum Monachum quæ recitatur tomo 2. Conciliorum, post vitam Theodori Papæ, in qua eum objiceret Pirrhus, quid de Honorio sentiret? Respondit Maximus, constare ex Epistola quadam scripta à successore Honorij Joanne I V. ad Imperatorem, negasse Honorium duas voluntates contrarias in Christo, carnis & spiritus, non duas, quarum una divina, altera humana esset.

30. Si urgeas, in sexta Synodo generali art. 13.

Tom. IV.

A damnatum fuisse Honorium tanquam hæreticum, & combustas fuisse ejus Epistolas ad Sergium: totam Synodum septimam actione ultimâ, anathema dixisse Honorio; & in octava act. 7. probatam fuisse Epistolam Concilij Romani sub Adriano II. in qua Pontifex cum Concilio asserit, Honorium post mortem à sexta Synodo damnatum.

Respondent primò Bellarminus & Baronius, acta sextæ Synodi generalis, in quibus fundabatur septimum & octavum Concilium, depravata fuisse ab æmulis Romanæ Ecclesiæ, præsertim operâ Theodori Constantinopolitani, hæretici Monothelitæ, qui se damnatum videns, loco proprii nominis, Honorij nomen substitui curavit. B Verum cum rationes quibus hanc sextæ Synodi corruptionem suadere conantur, convincentes non sint, nec appareant solidæ.

Respondent secundo cum Turrecremata, & aliis, sextam Synodum in damnatione Honorij errasse; quamvis enim Concilium generale legitimum errare non possit, in dogmatibus fidei definiendis, in quæstionibus tamen de facto criminalibus, errori obnoxium esse potest; subindeque mirum videri non debet, quod Patres illius Concilij, ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorij Epistolis, decepti, immeritò eum cum hæreticis Monothelitis connumerarint.

C Ad quintam probationem de Stephano & Sergio, qui acta Formosi prædecessoris irritarunt, similiter respondent Bellarminus, Baronius, Franciscus Amicus, alique Recentiores, eos errasse non in quæstione juris, sed facti, de quo (inquit Amicus) *dubium non est, quin possit Pontifex errare.* Nam quæstio erat, an Formosus fuisset legitimus Pontifex? Stephanus & Sergius ex odio existimantes non fuisse legitimum, omnia ejus acta annullarunt: quæ postea Joannes IX. approbavit, declaravitque illum fuisse verum Pontificem, actaque Stephani irritavit.

Ad Nicolaum I V. & Joannem X X I I. respondeo cum iisdem Authoribus, duas esse quæstiones à Pontificibus illis pertractatas. Prima est, an possit è rebus usu consumptibilibus separari usus à dominio? Secunda, an Christus habuerit purum usum rerum, quibus utebatur, omni dominio à se abdicato? Quoad primam, variæ & contrariæ sunt illorum Pontificum sententiæ: Nicolaus enim partem tenet affirmativam, idque occasione Fratrum S. Francisci de Observantia, qui profitebantur merum usum habere earum rerum quas elemosynis acquirunt, manente dominio liberè de iis disponendi apud Sedem Apostolicam. Negativam verò Joannes amplectitur, eo quod in rebus usu consumptibilibus distinguere nequeat usus à dominio; nam his rebus uti, est ipsum dominium in eas exercere; cum ille dicatur dominus rei, qui illam destruere potest; qui autem rem usu consumit, illam destruit, subindeque in eam dominium exercet. Sed quidquid sit de hac quæstione, & quanam sententia verior aut probabilior sit, certum est illam non spectare ad fidem, etiam non sit de aliqua veritate, vel in Scripturis revelata, vel per traditionem accepta, vel ad salutem necessaria. Posterior verò pertinet quidem ad fidem, sed in ea definienda, unus Pontifex non contradicit alteri: Nicolaus enim non definit universaliter, nunquam Christum habuisse dominium rerum quibus utebatur, imò docet illud aliquando ad indulgendum nostræ infirmitati retinuisse. Nam postquam dixit in Extravaganti *Exist*, Christum talem paupertatem

M m

tem, omni dominio abdicato, verbo & exemplo docuisse, subdit: *Nec his quisquam puer obistere, quod interdum dicitur Christus loculos habuisse: nam sic Christus Jesus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectorum extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnavet, sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis &c.* Contra verò Joannes in Extravaganti *Cum inter nonnullos, non desinit, Christum nunquam talem paupertatem verbo aut exemplo docuisse, sed solum ut hæreticum declarat, Christum, ejusque Apostolos, non habuisse aliqua, saltem in communi. Fieri autem potuit, ut Christus habuerit aliqua, vel in communi, vel in particulari, & nihilominus ad commendationem perfectæ paupertatis, interdum omne dominium earum rerum, quas licet habere poterat, à se abdicaverit, juxta illud Matth. 8. & Lucæ 9. Vulpes foveas habent, & volucres celi nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

33. Ad Joannem XXII. responderetur, illum quidem fuisse valde propensum in sententiam asserentem animas non visuras Deum ante resurrectionem generalem, eamque persuadere statuisse, non tamen ut Pontificem definivisset, sed ut ait Benedictus XII. in Extravaganti quæ incipit *Benedictus Deus*, speciali providentiâ raptum fuisse, antequam aliquid definiret.

34. Ad Jo. Villano lib. II. histor. c. 19. Joannem Papam pridie ante mortem significasse, existimare se jam probabiliorem sententiam esse eam quæ asserit beatos frui visione divinâ, etiam ante diem judicii; & hanc sententiam se amplecti, nisi aliquando aliud Ecclesia definierit, cujus definitioni suas omnes sententias libentissime subjeceret. Quæ retractatio apertè docet, hujus Pontificis mentem semper bonam & Catholicam fuisse. Idque confirmari potest ex Andræa Duvallo in Tractatu de infallibilitate Summi Pontificis, ubi aliud refert, quod ad hujus Pontificis famam & honorem non parùm confert: nimirum omnes Doctores Theologos Facultatis Parisiensis, coram Rege Philippo Valesio, eum ab omni hæreseos & erroris suspitione vindicasse, aientes se accepisse à fide dignis, totum quod à Summo Pontifice de beatitudine Sanctorum dictum fuerat, non fuisse assertivè dictum. Quod testimonium instrumento publico munierunt anno Domini millesimo trecentesimo trigésimo tertio, ut constat ex autographo, quod ad nostram usque ætatem asservant Fratres Prædicatores in Conventu S. Jacobi. & integrum refert Dominus Coiffeteau, Massiliensis Episcopus, paginâ 1040. & 1041. suæ responsionis ad Mysterium iniquitatis, illudque se manibus tractasse ait Gamacheus Doctor Sorbonicus I. 2. quæst. 4.

ARTICVLVS II.

An soli Petro primatus, seu supremum totius Ecclesiæ regimen concessum fuerit, subindeque Paulus æqualem potestatem cum illo non habuerit?

D Vas movemus hic celebres controversias, unam contra hujus temporis hæreticos, negantes soli Petro primatum seu supremam potestatem gubernandi Ecclesiâ à Christo concessam esse, quam propterea negant esse Monarchiam,

A sed vel Democraticam penes multitudinem, ut Illyricus, vel Aristocraticam penes ceterum seniores, ut Calvinus, aut penes Principes sæculares, ut Brentius, & hæretici Angli, quosart, præcedenti confutavimus. Illis favet Vigorius Jurisconsultus, in sua responsione Synodali Concilij Basileensis, ubi docet claves collatas esse non personæ Petri seorsim à cæteris Apostolis sumptæ, sed conjunctim, seu nomine Ecclesiæ, quam ipse figurabat & repræsentabat. Sicut (inquit) licet Genes. 2. Deus dicatur inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ, nihilominus totum corpus vivificum fuit, & anima totum corpus occupavit. Ita cum dixit Petro, *Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*, hoc convenit toti Ecclesiæ. Altera controversia est adversus Recentiores aliquem, Doctorem Sorbonicum, qui non multis ab hinc annis librum Gallico idiomate edidit, in quo asserit, æqualem D. Petro, D. Paulum potestatem & auctoritatem in Ecclesiâ habuisse, & utrumque non constituere quidem duo capita, ne Ecclesia esset biceps, quod esset monstrum simile, sed utrumque constituere unicum caput Ecclesiæ, & unum Pontificem. Quæ sententia ab Innocentio X. anno 1647. damnata est, & contra illam scripserunt P. Nicolai in Rainerio, titulo de dominio, Diana speciali Tractatu de autoritate solius Petri, Augustinus de Bellis, & novissimè P. Dominicus à S. Trinitate, Carmelita discalceatus, tomo 3. suæ Bibliothecæ Theologicæ.

§. I.

Prima conclusio statuitur, & duplici Scripturæ testimonio firmatur.

Dico primò, soli singulari personæ Petri à Christo fuisse concessum primatum, & supremam potestatem regendi universalem Ecclesiam, non verò aliis Apostolis.

Conclusio est certa de fide, probaturque ex Evangelij locis duobus illustrissimis, in quorum uno Christus claves (id est supremam in Ecclesia potestatem) Petro promittit, in altero verò re ipsa confert. Primum habetur Matthæi 16. ubi Christus sic Petrum alloquitur: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prevalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni celorum &c.* Ubi (ut rectè observat Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus, & Pontificiæ autoritatis defensor acerrimus) duo extant metaphorica nomina; *Petra & clavis*, quæ supremam in persona Petri potestatem aptissimè significant: quod enim in ædificio est petra, seu fundamentum, hoc in corpore est caput, in civitate gubernator, Rex in regno, paterfamilias in domo, & nauta in navi: sicut enim petra fundamentali totum nititur ædificium, sic civitas, regnum, domus, & navis, gubernatore, Rege, patre, & naulero stat, nititurque. Similiter communis consuetudo est, quod cum urbes deduntur alicui Principi, offeruntur ei claves in signum subjectionis; & claves domus solent tradi ei qui æconomus instituitur. Unde de Christo dicitur Isaia 22. *Dabo claves super humerum ejus, & Apoc. 3. Qui habet clavem David, ut suprema ejus potestas in Ecclesiâ significetur.*

Christum verò his verbis singulariter alloqui Petrum inter alios Apostolos præsentem, manifestum est. Primò quia singulariter eum laudat

ob confessionem fidei, ab uno illo editam, *Beatus es, quia caro & sanguis non revelavit tibi*. Secundò, quia pronomine singulari secundæ personæ sapius illum designat, *Caro & sanguis non revelavit tibi, &c.* Et tibi dabo claves regni colorum. Tertiò, quia duplici nomine proprio illum compellat, addito etiam nomine patris; *Beatus es Simon Barjona*, id est, Filius Joannis; & *Tu es Petrus* &c. Quarto, quia vicem illi respondit illustis fidei professionis, *Et ego dico tibi* &c. Unde Hieronymus in hunc locum: *Testimonio de se Apostoli reddidit vicem. Petrus dixerat, Tu es Christus Filius Dei vivi. Mercedem recipit vera confessio: Beatus es Simon Barjona, &c. Quia tu mihi dixisti, Tu es Christus Filius Dei vivi, ego dico tibi, non sermone casto, & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.* Et Hilarius can. 16. in Matthæum Dignum plane confessio Petri præmium consecuta est, quia Filium Dei in homine vidisset.

36. Respondent primò Lutherani & Calvinistæ, non Petrum, sed Christum ipsum nomine petræ super quam Ecclesiæ ædificanda erat, intelligi hoc in loco debere; quod probant dupliciter. Primò doctrinâ Apostoli 1. ad Corinthios 3. sic habentis: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Secundò expositione D. Augustini, libro enim 1. retract. cap. 21. nomine petræ ibi Christum intelligi asserit expressè, & rationem dat, quia non dictum est Petro, *Tu es Petrus*, sed *Tu es Petrus*.

37. Sed contra primò: Si per petram Christus non intellexit Petrum, sed seipsum, quorsum Christus ibi Apostoli nomen, quod erat Simon, mutavit, eumque Petrum, sive Cepham, hoc est saxum, appellavit? Secundò, quæ consequentiam, tu es Petrus & super me ædificabo Ecclesiam meam? Tertiò, si Christus non Petrum, sed seipsum, nomine fundamenti Ecclesiæ intellexit, sequitur quod nulla in illis verbis expressa est remuneratio confessionis Petri de Christo, quandoquidem non est Petri prærogativa, quod super Christum ædificetur Ecclesia: Sed consequens est contra SS. Patres relatos: Ergo &c. Tandem sequentia verba, *Tibi dabo claves*, denotant ad quem priora referantur: nam omnia diriguntur ad describendam completam auctoritatem, quæ in supremo Pastore totius Ecclesiæ requiritur: Si ergo sequentia verba, adversariis fatentibus, non ad Christum, sed ad Petrum referuntur, cur non etiam priora?

38. Neque obstat locus Apostoli 1. ad Corinthios 3. ex eo enim quod Petrus sit fundamentum Ecclesiæ, non sequitur Ecclesiam propterea in alio fundari, quam in Christo, quia non fundatur in Petro, nisi ut Christi Vicario, indigente etiam ipsa Christi sustentatione, quandoquidem Christus, ut dicit Augustinus enar. in Psal. 86. *fundamentum est fundamentorum*, eò quod solus seipso consistat, sustineatque quicquid pertinet ad Ecclesiæ ædificium, ipsumque proinde etiam Petrum confirmet.

39. Non obstat etiam D. Augustinus citatus, licet enim dicat per petram intelligi posse Christum, tamen sic concludit: *Alterâ autem duarum sententiarum quæ est probabilior, eligat Lector.* Quibus verbis, cum nihil hac de re certi definiat, atque etiam permittat per petram Petrum intelligere, sequi oportet communem aliorum omnium Sanctorum Patrum sententiam, qui

Tom. IV.

A in hac interpretatione consentiunt.

Demum non obest quod Interpres Latinus, nomen Petræ fœmininum, in masculinum mutaverit, dicens *Tu es Petrus*; hoc enim fecit, eò quod virili personæ nomen Petri aptius conveniret, ut rectè annotavit Andreas Duvalius in Tractatu de suprema Pontificis potestate quæst. 3. paginâ 723.

Respondet secundò Vigorius, Petrum quidem à Christo recepisse claves, sed non solum in persona propria, sed etiam in persona aliorum Apostolorum, & totius Ecclesiæ, quam ipse figurabat & repræsentabat; idque probat ex Augustino relato in cap. *Quodcumque* 24. quæst. 1. nam verba illa Christi expendens: *Dabo tibi claves regni colorum, quodcumque ligaveris super terram, &c.* subdit: *Si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia, id est non solvit, nec ligat: at Ecclesia id facit; cum enim excommunicat Ecclesia, in celo ligatur excommunicatus.*

40. Sed contra: Verba Christi Matth. 16. nulli alteri ex Apostolis quam Petro convenire nequeunt, nullus enim eorum, præter Petrum, poterat dici Barjona, seu filius Jonæ, nullus quippe Jonam seu Joannam pro patre secundum carnem habebat: nullus etiam Apostolorum, præter Petrum, *Cephas*, quod interpretatur petra seu rupes appellatus est: Ergo verba illa Christi, *Dabo tibi claves* &c. id est supremam in Ecclesiâ auctoritatem, ad solam Petri personam directâ sunt. Unde Epiphanius in Ancorato, *Dominus constituit primum Apostolorum petram firmam super quam Ecclesia Dei ædificata est.* Et Gregorius lib. 6. Epistolarum, Epist. 37. ad Eulogium: *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam? Maximus Scrm. de Sanctis Petro & Paulo: Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino, Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Demum Chrysostomus homil. 44. in cap. 6. Matthei: *Quid autem Petrus basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus, & Rhetorum victor; ille imperitus, qui tamen Philosophis obiuravit os; ille qui Græcicam sapientiam non aliter quam aranearum telam dissolvit; ille qui sagenam misit in mare, & piscavit orbem.*

41. Deinde si per Petram Ecclesia intelligeretur, intolerabilis & nugatoria battologia à Christo committeretur; cum enim dixit, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, idem esset, ac si diceretur super Ecclesiam ædificabo Ecclesiam. Unde ad Augustinum à Vigorio allegatum, dicendum est, nolle Augustinum, D. Petrum tanquam Ecclesiæ Vicarium & Legatum claves accepisse, instar Proregis, cui Principis nomine, claves civitatis nonnunquam dantur, sed tanquam Principem & moderatorem totius Ecclesiæ. Quod autem hæc fuerit mens Augustini manifestè patet ex alijs locis; ubicumque enim dicit Petrum personam Ecclesiæ gessisse, hoc semper asserit ratione primatus, ut Tractatu ultimo in Joan. ubi sic ait: *Ecclesia Petrus Apostolus, propter Apostolarum sui primatum, gerebat figuratâ generalitate personam.* Et in Psal. 108. *Cujus (Ecclesiæ) ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum, quem in Discipulis habuit.*

42. Secundus locus quo primatus Petri supra Ecclesiam evidenter demonstratur, sumitur ex capite 21. D. Joannis, ubi Christus quod ante Matth. 16. promiserat Petro, propter excellentem fidei confessionem, dedit post triham protestationem

M m ij

excellentis amoris, his verbis: *Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ubi manifestum est primò, verba hæc non alteri quàm Petro dicta esse, cum proprio ipsius & patris etiam nomine singulariter eum designet, & ter ipsum interroget, ut trinæ negationi responderet ejus trina confessio, ipsumque distinguat ab omnibus alijs: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Id est pluriquàm his socij tui Apostoli. Secundò evidens est, quod Christus his verbis specialem prærogativam confert D. Petro, à priori beneficio missionis, communi omnibus Apostolis, distinctam; id enim apertè colligitur ex eo quòd Christus, antequam Petro munus illud pascendi oves suas & agnos generatim committeret, ter illum interrogavit, num plus quàm alij diligeret? Nam ut rectè notantur Chrysostomus & Theophylactus in locum illum Joannis, & Bernardus Serm. 76. in Cantica, non erat causa, cur ab illo majorem dilectionem requireret ad beneficium commune omnibus Apostolis, & missionem jam omnibus mandatam; sed nimirum idcirco plus amoris ab illo requisivit, quia rem charissimam, nempe Ecclesiam, pro qua sanguinem fudit, illi pascendam & regendam commendabat. Tertiò ex verbis illis manifestè colligitur, Christum universalem Ecclesiæ curam Petro commississe: indefinitè quippe de ovibus suis, non autem de his aut illis loquutus est, & agnos primò, deinde oves illi commendavit: per agnos autem populus, per oves verò Pastores significantur, & Patres populi. Unde Eusebius Emilensis: *Prius agnos, deinde oves Petro commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves. Pascit filios, pascit & matres. Regit & subditos, & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves, in Ecclesia nihil est.*

Serm.
de nativitate
S. Joannis.

Simili discursu utitur D. Bernardus lib. 2. de consider. cap. 8. ad primatum Petri & Romani Pontificis supra universalem Ecclesiam demonstrandum: *Tu es* (inquit Eugenio Papæ) *cui claves tradita, cui oves credita sunt. Sunt quidem & alij cæli janitores & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem queris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indistinctè totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius aut illius populi, civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

44. Aliud primatûs D. Petri argumentum ibidem desumit, ex eo quòd solus Petrus cum Christo ambulavit super aquas, & ceteris Discipulis navigio venientibus ad Christum stantem in littore, Petrus semisit in mare, & natando pervenit ad eum. *Accipe* (inquit) *aliud quod prærogativam confirmat tibi* (alloquitur eundem Eugenium Summum Pontificem, & Petri successorem) *Discipuli navigabant, & Dominus apparebat in littore, quodque jucundius erat in corpore divino. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare semisit, & sic venit ad ipsum, alijs navigio pervenientibus. Quid istud? Nempe signum singularis Pon-*

A tificij Petri, per quod non navem unam, ut ceteri quique suam, sed seculum ipsum suscepit gubernandum. Mare enim seculum est: naves, Ecclesia. Inde est quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquarum multe, populi multi. Ita cum quisque ceterorum habeat suam, tibi una commissæ est grandissima navis facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa.

§. II.

Ratio fundamentalis nostræ conclusionis exponitur.

R Atio fundamentalis nostræ conclusionis potest sic breviter proponi. Si supremum Ecclesiæ regimen, non soli Petro, sed alijs etiam Apostolis à Christo concessum esset, tale regimen non esset Monarchicum, sed Aristocraticum: At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, in eo enim distinguitur regimen Monarchicum ab Aristocratico, quòd in Monarchia unus solus regit & imperat, in Aristocratiâ verò plures, scilicet optimates, dominantur. Minor verò, quam negant hæretici, multipliciter ostenditur. Primò ex Scriptura: Ecclesia enim in sacris litteris per ea quæ statum habent Monarchicum solet designari: Daniel. 2. comparatur regno: Cantic. 4. exercitui ordinato: Cantic. 7. corpori humano: 1. ad Timoth. 3. domui: 1. Petri 3. navi; & Joan. 20. ovili; quæ omnia ab uno supremo moderatore gubernantur. Neque valet si respondeas, Ecclesiam his meritò comparari, quòd Regem unum & caput à quo regitur, scilicet Christum, agnoscat. Cum enim Ecclesia sit unum corpus visibile, præter Christum à quo invisibiliter regitur, requirit visibilem aliquem & manifestum pastorem, qui eam visibiliter regat & moderetur. Unde vigesimus septimus error Wicleffi in Concilio Constantiensi damnatus, hic fuit: *Non est scintilla apparentia, quòd oporteat esse unum caput in spiritalibus, regens Ecclesiam, quòd semper cum ipsa militante Ecclesia converteretur & conservetur.*

Secundò probatur eadem Minor: Christus Ecclesiæ in nova lege non negavit, quòd Synagoga in veteri concessit: At Synagoga quandiu persistit, per unum supremum Sacerdotem Monarchicè gubernata est, ut constat Deuter. 7. Ergo pariter Ecclesia in nova lege sub uno supremo pastore Monarchicè gubernari debet.

Probatur tertiò: Ecclesia militans Apocal. 21. instar triumphantis Ecclesiæ est instituta, tanquam quedam ejus imago: At in Ecclesia triumphante, præter Deum & Christum, præsedet primus Angelus, à quo ceteri illuminantur & perficiuntur: Ergo & in militante, præter Deum & Christum, aliquis Monarcha à quo regatur admittendus est.

Quartò sic arguo: Nulli dubium est quin Christus optimum ac perfectissimum suæ Ecclesiæ regimen instituerit: At hoc est Monarchicum, ut docet Aristoteles 8. Ethic. cap. 10. & lumine naturæ cuique exploratum est: Primò ratione ordinis, qui perfectius tunc elucet, cum solus ille cui cura omnium incumbit, præest, reliqui verò subsunt; quàm cum vel omnes præfint, & nullus subicitur, ut in Democratia; vel cum multi, nempe optimates, dominantur, ut in Aristocratiâ.

licet enim aliquis ordo in hoc regimine reluceat, cum populus optimatibus subijciatur, nullus tamen ordo est inter optimates, cum sint omnino pares, neque unus in alterum potestatem habeat. Secundo, ratione facilitatis gubernandi: facilius enim ab uno quam à multis civitas regitur, ut ait Philosophus loco citato, tum quia facilius est unum virtute excellere quam plures: tum etiam quia facilius populus uni quam multis (quorum studia plerumque in diversa feruntur) obtemperat. Tertiò, ratione assentionis finis, pacis scilicet & concordia, quæ tunc facile conciliatur, quando omnes idem volunt, idem nolunt: hoc autem fit suavissimè, cum ab unius voluntate & arbitrio omnes dependent. Hinc illi etiam apud quos Democratia viguit, ubi peculiaris aliqua difficultas exorta erat, aut grave periculum imminerebat, ut rebus arduis occurrerent, ac discrimen quod Reipublica impendebat evaderent, ad Monarchiam confugere solebant, plenamque rerum administrandarum potestatem uni conferre: ut constat præcipuè de Romanis: nam apud illos id moris erat, ut dum summa urgeret necessitas, & res Romana, ob bella externa, vel ob interna dissidia, in ultimum penè discrimen adducta esset, Dictatorem crearent, atque ad unius regimen, tanquam ad unicum periclitantis ac prope jam labentis Reipublicæ stabilimentum, confugerent. Unde meritò Aristoteles 12. Metaphysicæ hanc Homeri sententiam celebrat: *Non est bonum multitudo principatum, unus verò Princeps.* Cui annuit Virgilius 4. Georgicon, ubi quando contigerit duos Reges in uno apum examine inveniri, hoc salubre Agricolis dat consilium:

*Verùm ubi ductores acie revocaveris ambo,
Deterior qui visus, cum ne prodigus obstit,
Dede neci, vacua sinas ut regnet in aula.*

Si ergo Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus: si graves omnes sequuntur unam ordine litterario, ut ait Hieronymus, cum Rustico suo disserens, si demum in navi gubernator unus est, in exercitu dux unus, in regno unus Imperator & in domo unus Paterfamilias: multò magis unus Monarcha erit in Ecclesia, quæ, ut supra dicebamus, in sacris litteris ovili, navi, exercitui, regno, & domo comparatur. Unde inter propositiones desumptas ex quatuor libris Antonij de Dominis, Archiepiscopi Spalatensis, de Republica Ecclesiastica, & à Sacra Facultate Theologiæ Parisiensis damnatas, hæc fuit sexta: *Monarchia forma non fuit immediatè in Ecclesia à Christo instituta.* Quam propositionem hac censurâ notavit: *Hec propositio est hæretica, schismatica, Ordinis Hierarchici subversiva, & pacis Ecclesiæ perturbativa.* Et rursus de ista ejusdem Pseudo Archiepiscopi propositione: *Si quid incommodi habet Aristocratia, cui Monarchia facile possit obviare: Ecclesiam Spiritu Christi instructam, propter eam & in singulis Ecclesijs voluisse Monarchiam, & in se tota Aristocratiam, eadem Sacra Facultas sic censuit: Hæc propositio est hæretica, & schismatica, quatenus vult Ecclesiam universalem, secundum se totam esse Aristocraticam.*

§. III.

Solvuntur objectiones Hæreticorum contra Petri primum.

Objiciunt primò Hæretici: Omnes Apostoli fuerunt in potestate æquales: Ergo soli personæ Petri non fuit concessus primatus, seu suprema potestas regendi Ecclesiam. Consequentia videtur manifesta: Antecedens verò probant, tum ex Cypriano lib. de unitate Ecclesiæ, ubi sic ait: *Hoc erant unique ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* Tum ex Hieronymo lib. 1. in Jovin. ubi pariter affirmat Apostolos omnes fuisse pares. Addunt Petrum nunquam exercuisse primum & jurisdictionem in alios Apostolos, contra verò missum fuisse cum Joanne ad Samaritanos, Act. 8. & reprehensum à Paulo, Galat. 2.

Respondeo omnes Apostolos in potestate ordinis, & in dignitate Apostolatûs fuisse æquales: singuli enim potestatem Evangelium ubique terrarum prædicandi, ligandi & solvendi, & omnium quæ pro mundi conversione necessaria erant, à Christo non à Petro acceperunt: in ratione tamen officij pastoralis inæquales fuerunt, ut docet Chrysostomus, explicando verba hæc, *Pasce oves meas*, id est, *esto præpositus loco mei, & primus in medio fratrum.* Et in cap. 1. Actuum Apostolorum, ubi sermo est de electione Matthiæ, exclamat: *Quam cognoscit Petrus gregem suum, quam in hoc choro princeps est.* Item Leo Papa Epist. 84. hæc scribit: *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut ceteris præmineret: in dignitate scilicet pastoris universæ Ecclesiæ. Quò fit ut Petrus ceteros Apostolos triplici titulo dignitate & potestate superaverit. Primò quia dignitas & jurisdictionis universalis fuit in eo ut in Pastore ordinario totius Ecclesiæ, cui succedendum erat: in aliis verò non ita, sed eorum potestas universalis quodammodo delegata erat, & ex privilegio atque propter necessitatem concessa; quia nimirum in dispersionem gentium erant abituri, & longis locorum intervallis à Petro separandi, ut pro Ecclesiarum quas ipsi fundabant necessitatibus, vix ac ne vix quidem, eum possent convenire. Secundo, quia jurisdictionis Petri se extendebat ad ipsas personas Apostolorum directè; poterat enim illis ut ovibus præcipere, atque huc aut illuc mittere. Tertiò, singulis Apostolis data est universalis potestas in hunc sensum, ut ubique Gentium possent prædicare, absolvere, Episcopos instituire, & similia præstare: non tamen ut possent singuli universali Ecclesiæ ordinem præscribere, aut leges condere quæ totam Ecclesiam obligarent; hoc enim soli Petro concessum est, & in hoc ejus potestas supra alios eminebat.*

Ex his facile intelligitur locus Cypriani, in quo hæretici maximam vim faciunt; ibi enim solum intendit omnes Apostolos fuisse pares in munere Apostolatûs præcisè, sive in eo quod acceperunt verbis illis ad omnes simul prolati: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c.* Non negat tamen Petrum fuisse illis superiorem in dignitate Pastoris universalis Ecclesiæ, quam speciatim accepit Joan. 21. verbis illis Christi, *Pasce oves meas*, quibus primatum datum fuisse Petro, ibidem agnoscit Cyprianus, his verbis: *Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem*

M m iij

rem tribuat & dicat, sicut misit me Pater, &c. tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suā auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis (nimirum ante illa Christi verba ad Petrum: Pasce oves meas) Sed exordium ab unitate profici sciunt: Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstraretur. Item Epist. 40. Vna Ecclesia (inquit) est, & Cathedra una super Petram, Domini voce fundata: quisquis alibi collegerit, spargit. Simili modo loquitur Hieronymus lib. 1. in Iovinianum, ubi licet affirmet Apostolos omnes fuisse pares, in dignitate scilicet Apostolica, ait tamen unum ē duodecim fuisse electum, ut constituto capite, omnis schismatis tolleretur occasio. Et in Dialogo adversus Luciferianos inquit quod Ecclesia salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab omnibus emittens deus potestas, tot in Ecclesia efficiuntur schisma quot Sacerdotes. Unde Bernardus lib. 2. de considerat. cap. 8. ait quod Christus, post resurrectionem, Ecclesiam suam commisit uni, scilicet Petro, ut unitatem omnibus commendaret in uno grege & uno pastore, secundum illud: Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate, inde est quod alij singuli singulas sortiti sunt plebes &c. Demum S. Ignatius Epistolā ad Philadelphienſes hæc scribit: Vna est caro Domini Jesu, & unus sanguis ejus, qui pro nobis effusus est: unus etiam panis pro omnibus confractus, unus calix totius Ecclesie, & unus Episcopus simul cum omnibus Presbyteris & Diaconis.

49. Nec obstat primatus Petri quod subdunt Hæretici, nempe nullibi legi in Scriptura, Petrum exercuisse jurisdictionem supra alios Apostolos: tum quia non omnia quæ fecit Petrus scripta sunt: tum etiam, quia cum alij Apostoli optimè se gererent, & à Spiritu Sancto regerentur, non fuit opus quod Petrus erga illos suam jurisdictionem & potestatem exerceret. Non pauca tamen nec levia primatus Petri supra alios in Scriptura habentur indicia. Primò quia Petrus in multis superiorem se ostendit, nam in electione Matthiæ, & in promulgatione legis Evangelicæ die Pentecostes Act. 2. & in abrogatione veteris legis, & in reliquis cæteris, semper fuit primus in dicendo. Secundò, ex eo quod Petrus primo loco ab Evangelistis semper recensetur: hoc enim non ideo ab iis factum est, quod Petrus inter Apostolos esset ætate provectior, Andreas quippe eum ætate superabat, ex Epiphanio hæresi 71. neque quod primus esset vocatione, duo enim Joan. 1. prius sunt vocati: neque quod donis personalibus reliquis Apostolis præcelleret; Joannes enim virgo fuit, Propheta, & Evangelista, & præ cæteris blandius ac tenerius à Christo dilectus: non aliam ergo ob causam ab Evangelistis ejus nomen primò ponitur, quàm quia cæteris dignitate & primatu præcellebat. Tertiò, quia Christus ei nomen mutavit, ipsumque Cepha quod Syriacè petram vel saxum aut rupem, Græcè verò caput, Gallicè chef significat; unde hac nominis impositione, eum fundamentum & caput totius Ecclesie futurum esse prædixit: quod præclare docet Dionysius cap. 3. de divin. nomin. ubi Petrum Apostolorum verticem appellat; & in libro quem scripsit de vita & morte Apostolorum, cujus meminit Ga-

A briel in Canonem Missæ, narrat Paulum, Petrum euntem ad martyrium, his verbis salutasse: Pax tecum fundamentum Ecclesiarum, Pastor ovium & agnorum Christi. Demum Matth. 17. Christus Dominus soli Petro nominatim jussit ut pro se & pro illo tributum solveret: Da (inquit) illis pro me & pro te. Unde Author quæstionum veteris & novi Testamenti, quæ habentur in quarto tomo operum D. Augustini: Salvator cum pro se & pro Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur: quia sicut in Salvatore erant omnes cause magisterij, ita & post Salvatorem in Petro omnes continerentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis Domini. Idem docent Chrysostomus homil. 59. in Matth. Hieronymus & alij.

B Ad id verò quod in objectione subjungitur de missione Petri ad Samaritanos, ejusque reprehensione à Paulo, dicendum est, missionem illam non arguere inferioritatem aut subjectionem in Petro: tum quia alijs Filius & Spiritus Sanctus essent minores Patre à quo mittuntur: tum etiam quia talis missio non facta fuit imperando, sed communi consilio judicatum fuit à Petro ipso cum alijs, expedire utiret. Potuit verò, quamvis superior Paulo, ab ipso reprehendi: quia licet inferiori reprehendere superiorem ex charitate, præcipue si peccat cum aliorum scandalo, De quo fusiùs §. 6.

C Obijciunt secundo: Paulus, non Petrus, per antonomasiam vocatur Apostolus: Ergo potius Paulus quàm Petrus inter Apostolos primatum tenet.

Confirmatur: In antiquis imaginibus quibus Pontificum diplomata obsignari solent, Paulus à dextris, Petrus à sinistris depicti cernuntur: Ergo Paulus præponitur Petro, non Petrus Paulo.

Ad objectionem respondeo Paulum per antonomasiam dici Apostolum, quia plura scripta nobis reliquit, & plus alijs in prædicatione Evangelij, quod est Apostolorum proprium, laboravit, ut ipse ait 1. ad Corinth. 15. Unde Augustinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. Apostolus cum dicitur, si non exprimitur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est Epistolis notior, & plus omnibus laboravit.

D Ad confirmationem respondeo ex Bellarmino lib. 1. de Romano Pontifice cap. 27. morem fuisse apud antiquos, quod junior ambulans cum seniore, incederet à dextris senioris, eumque obsequij causâ paululum præcederet. Ex qua consuetudine fieri potuit, ut etiam in imaginibus Paulus depingeretur à dextris Petri. Alias rationes affert Petrus Damianus opusc. 31. cap. 1. quod scilicet Paulus ex Tribu Benjamin fuerit, & Benjamin filium dexteræ significet; vel quod Paulus vocatus sit à Christo in cælis regnante, cum tamen Petrus à Christo Domino in terris degente vocatus sit. Quam etiam rationem reddit D. Thomas in Epist. ad Galat. cap. 1. Quia presens vita (inquit) significatur per sinistram, futura verò per dextram, in quantum ista est cælestis & spiritualis, illa verò temporalis; ideo Petrus qui vocatus fuit à Christo, adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte; Paulus verò qui vocatus fuit à Christo jam glorificato, ponitur in dextera parte. An verò Paulus æqualem cum Petro potestatem & auctoritatem habuerit, dicemus §. sequenti.

§. IV.

Alia difficultas resolvitur. & Paulum parem cum Petro auctoritatem & potestatem in Ecclesiam non habuisse, breviter demonstratur.

Dico secundò, Paulum æqualem cum Petro non habuisse potestatem & auctoritatem in Ecclesiam.

53. Probatur primò ex Scriptura: Act. 15. ortà Antiochiæ seditione propter Judæos, volentes Gentes ad Deum converfas circumcidi, statutum est Paulum & Barnabam debere convenire Apostolos, qui erant Hierosolymis, ut factò Concilio quæstionem dirimerent. In hoc verò Concilio, quod primum omnium fuit, coram omnibus Apostolis, etiam & præsentè Paulo, (cujus potissimum interesse videbatur, cum ea de causa in Hierusalem missus fuisset) solus Petrus, ut docent SS. Patres, præfuit: Si verò Paulus eandem habuisset potestatem cum Petro, simul etiam cum ipso præfuisse debuisset; sicut cum duo Legati qui parem habent auctoritatem Concilio interfunt, non unus solùm sed ambo præfunt: Ergo Paulus æqualem cum Petro non habuit potestatem & auctoritatem in Ecclesiam.

54. Confirmatur primò: Cùm D. Paulus prædicat Antiochiæ Gentes ad Deum converfas non debere circumcidi, nemo parendum esse existimavit, & ut dicit Theophrastus eo loco, non videbatur tunc D. Paulus eâ auctoritate præditus, ut de tanta re fides ei haberetur: At verò cùm primum D. Petrus docuit ablegandam esse circumcisionem, tacuit omnis multitudo, ut dicitur in eodem capite versu 12. nec quisquam existimavit sibi licere non obtemperare: Ergo manifestissimum est, majorem D. Petro quàm D. Paulo reverentiam ab Ecclesia exhibitam fuisse, & existimasse multitudinem, quod D. Petrus superior erat, & majorem habebat potestatem in definiendis rebus fidei, quàm haberet D. Paulus.

55. Confirmatur secundò, ex eo quòd D. Paulus ab Antiochena Ecclesia missus est ad D. Petrum, ut inquit Theodoretus Epistolâ ad Leonem, ut quæstionem ab eo solutam, ad ipsum afferret: Ergo manifestum signum est, Ecclesiam Antiochenam existimasse, quod D. Petrus unicus erat Pontifex, cujus erat res fidei definire.

56. Probatur secundò conclusio ex ipso D. Paulo Epist. ad Galat. cap. 1. ubi sic ait: *Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim*: nam ex hoc loco colligunt SS. Patres, Paulum agnovisse D. Petrum ut superiorem, & primatem totius Ecclesiæ: Tertullianus enim lib. de præscript. prope finem ait: *Ascendit videre Petrum ex officio, & de jure*. Ambrosius in eundem locum: *Dignum erat* (inquit) *ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum*. Hieronymus ibidem hæc scribit: *Non enim ascendit, ut genus vultumque agnosceret, sed ad ipsum veni tanquam ad Pastorem supremæ potestatis, & ut honorem priori Apostolo deferret*. Similia habet Theodoretus in eundem ad Galatas locum: *Cum humanâ (inquit) doctrinâ non indigeret, ut qui ab universorum Deo eam accepisset, Apostolorum Principi quem par est honorem tribuit*. Theophrastus, honorans eum cetera majorem. O Eumenius, *Post tantos tantosque agones pergit ad Petrum tanquam majorem visurus*, Demum Gregorius IX. in Epistola ad Ar-

Achiepiscopum Constantinopolitanum: *Ascendit Paulus, qui in Petro auctoritatis officium recognoscens, ad eum tanquam ad Primatem, & Evangelij fontem, ascendit Hierosolymam*.

Quod verò ibidem Paulus ait, nihil sibi à Petro & ab aliis collatum fuisse, significat quidem, nihil se ab illis didicisse quod pertineret ad fidem, ut qui erat ab ipso Christo Domino satis in eo genere eruditus; quemadmodum ipse initio ejusdem Epistolæ declarat, his verbis: *Paulus Apostolus non ab hominibus, nec per hominem, sed per Jesum Christum*. Deinde, *Notum vobis facio Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per Jesum Christum*. Quamquam in ordine ad illud prædicandum, notumve faciendum, approbationem illius à Petro & aliis Apostolis petierit, ut ipse innuit cap. 2. ejusdem Epistolæ ad Galatas dicens: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currem, aut cucurrissem*. Unde Hieronymus in Epistola ad Augustinum: *Id fecit* (inquit) *ostendens non habuisse securitatem Evangelij prædicandi, nisi Petri & eorum qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum*.

57. Probatur tertio ex D. Dionysio Epist. ad Timotheum, ubi refert quod cùm Petrus & Paulus ad martyrium ducerentur, ita sese invicem, audiente ipso Dionysio, salutaverunt. Et Paulus quidem: *Pax tecum* (inquit) *Perz fundamentum Ecclesiarum, Pastor ovium & agnorum Christi*. Et Petrus ad eum: *Vade in pace Prædicator bonorum, Mediator & Dux salutis iustorum*. Cùm autem elongassent se ab invicem, ego Dionysius secutus sum Paulum Magistrum meum. Ubi D. Paulus, Petrum quidem fundamentum Ecclesiæ, & Pastorem vocat, secus verò Petrus Paulum, eum enim duntaxat Prædicatorem appellat: At Petrus non tacuisset quod præcipuum fuisset in Paulo, scilicet supremum Pontificem esse, & supremam habere potestatem in Ecclesiam, si revera eam habuisset: Ergo &c.

58. His omnibus auctoritatibus addi potest definitio Joannis XXII. contra Marfilium de Padua, & Joannem Jandunum, Avenione decimo Kalendas Novembris, Pontificatus sui anno duodecimo, in qua sic habetur: *Quod autem B. Petrus plusquam alij Apostoli auctoritatis habuit, ex prædictis evidenter concluditur. Certum est enim quod major est auctoritas Pastoris, quàm gregis: Petrus autem totius gregis dominici generalis constitutus est pastor, quod de nullo alio Apostolo dici potest. Ita definit Pontifex: Bullam refert Bzovius tomo 13, anno 1227.*

59. Quartò suaderi potest conclusio ex principiis supra §. 2. statutis, ibi enim ostensum est, Ecclesiæ regimen esse Monarchicum, cùm illud sit omnium perfectissimum & præstantissimum, quod Ecclesiæ deesse non potest: Atqui regimen Ecclesiæ non potest esse Monarchicum, nisi unus sit qui omnibus præsit, & superior sit; etenim si plures sint quibus regimen incumbat, & qui potestatem æqualem regendi habeant, receditur a Monarchia, & ad Aristocratiam acceditur; etiam si se habeant per modum unius: nam constat quod senatus qui ex optimatibus Reipublicæ constituitur, se habet per modum unius, & tamen ad Ari-

floratiā pertinet: Ergo suprema potestas regendi Ecclesiam, in uno tantum residet, scilicet in Petro, subindeque Paulus æqualem cum illo auctoritatem & potestatem non habuit.

61. Demum probati potest conclusio hoc discursu: Si Paulus ligasset aliquam Ecclesiam, putā Tarientem, potuissetne Petrus eam solvere, vel non? Si potuisset: Ergo aperte major est Paulo, nam si parem duntaxat potestatem haberet, cum par in parem potestatem nullam habeat, non posset eam sententiam Petrus irritare, quam Paulus tulisset. Si verò non potuit Petrus Ecclesiam à Paulo ligatam solvere: Ergo nec Petrus habet plenissimum dominium in omnes orbis Ecclesias, nec subinde dici potest supremam auctoritatem habere, & Paulus major erit Petro, siquidem potuit Paulus eam Ecclesiam solvere, quam ligavit, cum id tamen non potuisset Petrus. Hac ratione convincitur à Philosophis omnibus & Theologis, non posse dari plura prima principia; Quæ ratio omnino efficax est in proposito, si uterque & Petrus & Paulus supremam & veluti primam auctoritatem & potestatem habuisse dicantur.

62. Nec verò dici potest, quod Deus speciali protectione & curā Ecclesiam gubernans, potuisset efficere ne unquam Petrus & Paulus contraria statuisent, unde potuisset turbare regimen Ecclesiæ. Hoc, inquam, nihil obstat: Tum quia alias ad argumentum simile quo probatur non posse dari plura prima principia posset quis respondere, quod illa nunquam opposita sentirent, aut statuerent, ne turbaretur ordo universi. Tum etiam quia probat hæc ratio implicare absolute esse duas potestates omnino supremas, nec subordinatas inter se: nam sicut Deus impedire potuit ne Petrus & Paulus pugnancia statuerent, ita permittere potuit. Hoc verò posito, manifestè convincitur unum necessariò esse alteri inferiorem, ut diximus: Unde sicut non potest quis duobus dominis servire, ita nec potest duobus Ecclesia obtemperare, nec duo supremam in ea potestatem habere.

§. V.

Solvuntur objectiones.

PLura obijci possunt ex auctoritatibus SS. Patrum, qui sapius D. Paulum cum D. Petro conferunt, & utrique parem auctoritatem & potestatem tribuere videntur: quæ tamen omnia non nisi commendationem D. Pauli continent; nam ut infra ostendemus, eadem unde Adversarij putant se probare Primatum Ecclesiæ communem esse Petro & Paulo, de aliis Apostolis, maxime de D. Jacobo, à Patribus dicta sunt.

63. Obijcitur itaque primò argumentum quod ex Scriptura sumi videtur: habetur enim ex Scriptura quod Paulus Petrum reprehendit, ipsique in facie restitit: Atqui non potest inferior superiorem arguere & reprehendere: Ergo debuit Paulus non esse inferior Petro quem reprehendit. Unde D. Ambrosius ex eo loco Paulum Petro æqualem facit: *Quis enim (inquit) Petro primo Apostolo resisteret, nisi alius talis fiducia electionis sua sciens se non imparem?*

Incap. 2.
Epistola
ad Gal.
lat.

64.

Respondeo in primis eo argumento probare hæreticos, quod Petrus non habeat supremam in Ecclesiā potestatem, cui ausus sit Paulus repugnare: Sed præterea Actorum 11. expressè habetur, quod cum Petrus ascendit in Hierusalem, disceptabant adversus illum hi qui erant ex

A circūcisione, dicentes, *ad homines præputiū habentes ingressus es, & comedisti cum illis.* Ubi Discipuli Petrum arguunt, ipsiq; repugnant, cum tamen Petro æquales non fuerint. Similiter etiam plures vel Episcopi, vel iis inferiores, interdum Pontificibus restiterunt, ut Petrus Damianus restitit Victori, Nicolao, & Alexandro, ut constat ex Epistolis 5. 6. & 12. Neganda est igitur Minor argumenti: licet enim interdum inferiori superioriorem arguere, ut docet expressè D. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 4. & ita D. Paulus D. Petro restitit, quòd ita res Ecclesiæ postularent, & expediret. Ad locum verò D. Ambrosij dicendum est, voluisse D. Paulum fuisse Petro parem, non quantum ad dignitatem Pontificiam, sed quoad Apostolatū, & alias dotes, quibus hanc fiduciam arguendi Petrum habere poterat.

B Addo quod, Cyprianus Epistolā ad Quintum, laudat humilitatem Petri, quòd permiserit se à Paulo corrigi, scilicet superiorem ab inferiori, majorem à minori. Et D. Gregorius homil. 18. in Ezechielem: *Tacuit (inquit) Petrus, ut qui primus erat in Apostolorum culmine, primus esset in humilitate.* Augustinus item Epist. 19. ad Hieronymum hæc scribit: *Rarius & sanctius exemplum Petrus posteris prebuit, quo non designarentur à posterioribus corrigi, quam Paulum, quo confiderent auderent minores majoribus pro defendenda veritate, salvā charitate resistere.*

C Obijcitur secundo: Ea omnia quibus significari potest, Petrum habere primatum, & supremam potestatem, tribui etiam Paulo à sanctis Patribus: nam dicitur Paulus fuisse Episcopus Romæ ab Epiphano hæresi 27. *Primi, inquit, Rome Apostoli & Episcopi fuerunt Petrus & Paulus.* Dicitur præterea *Pastor verus Romana Ecclesiæ*, à D. Leone serm. 1. de Petro & Paulo. *Petrus & Paulus (inquit) Romana Ecclesiæ veri pastores.* Et demum nihil frequentius in sanctis Patribus reperitur, quam D. Paulum orbem universum gubernasse: Ergo æqualem cum Petro potestatem & auctoritatem habuit.

D Respondeo nunquam reperiri in Scriptura fuisse dictum Paulo à Christo Domino, *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: vel illud, *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*, quæ D. Petro dicta sunt; unde colligitur primatum Ecclesiæ, & plenitudinem potestatis in omnes fideles, ipsosque Apostolos, in Petro residere. Ad primum igitur locum Epiphani, dicendum est, quod Paulus vocatur Episcopus Romanus, non propter auctoritatem quam habuit, sed propter operam quam adhibuit in ea fundanda. Sic Clemens Epist. 2. ad Jacobum, vocat se Romanæ Ecclesiæ Præsulem, etiam dum adhuc Apostoli viverent: *Ego (inquit) Clemens Præsul Ecclesiæ Romanae.* Et ipse etiam Petrus dicitur dedisse claves Ecclesiæ Romanæ, etiam dum ipse viveret, Lino, ex eodem Clemente Romano lib. 7. Const. cap. 46. quatenus scilicet in administratione rerum externarum Petrum adjuvabat, ut dicit Joannes III. cap. 1. 8. quæst. 1. Præterea cum Paulus haberet auctoritatem extraordinariam, omnia munera Pontificis exercebat Romæ: unde dici potuit Romanæ Ecclesiæ Episcopus; aliā tamen ratione quam Petrus diceretur: nam agebat Petrus ut ordinarius, Paulus ut extraordinarius; aut etiam Petrus ut Pontifex, Paulus ut adjutor. Eodem sensu explicandus est D. Leo, cum vocat Paulum Pastorem Romanæ Ecclesiæ, alique Patres, cum dicunt Paulum

lum orbem universum gubernasse : hoc enim ita intelligendum est, quod Paulus omnia exercuerit cum Petro, non ut Pontifex, sed ut Apostolus : hoc enim omnibus Apostolis commune fuit, & maxime de D. Paulo dici potest, ratione magisterij, quo universum mundum docuit & illustravit.

67. Obijcies tertiò : Romana Sedes dicitur Sedes Pauli à Gregorio VII. in Concilio Romano, ubi dicit se in Pauli Cathedra universo orbi præfidere : & à Damiano opusculo 30. dicitur, quod Romana Ecclesia Sedes est Apostolorum, utique Petri & Pauli. Præterea D. Ambrosius in cap. 2. Epistolæ ad Galat. inquit, *Paulus gratiam primatus sibi soli à Deo concessam vendicat : sicut & soli Petro concessa est inter Apostolos.* Et deum Cyrellus Hierosolymitanus Cathedr. 6. dicit Paulum esse caput Ecclesiæ : *Duo*, inquit, *Capita Ecclesiæ Petrus & Paulus* : Atqui nihil unquam majus dici potuit quo significaretur, D. Paulum esse participem primatus Ecclesiæ : Ergo, &c.

68. Respondeo quod ex jure cap. Romana de appellatione, Episcopi & Coadjutoris dicitur idem tribunal, idem Consistorium : unde quia Paulus fuit Coadjutor Petri, dicitur sedisse in eadem cathedra. Sic D. Augustinus Epist. 36. ad Paulinum, dicit quod adhuc in corpore posito fratre & Episcopo meo fene Valerio, sedi cum illo : non quidem ut proprius Episcopus, sed ut Coadjutor. Adde etiam quod Paulus dicitur sedisse in Cathedra Romana, propter autoritatem docendi : sic enim Christus dixit quod *super Cathedram Moysis sedebant Scribæ & Pharisei* : quia scilicet legem Moysis docebant, ut explicant communiter Patres, & Glossa in capite *sacro sancta* dist. 13. verbo *Moyses*. Ad locum D. Ambrosij dicendum est, sese eum Patrem eo loci explicasse ; dixerat enim quod Paulus dignus fuit habere Primatum prædicationis in prædicatione Gentium, sicut habebat Petrus in Primatu circumcisionis. De hoc igitur Primatu prædicationis intelligendus & explicandus est. Adde quod Chrysostomus in caput 1. ad Galat. dicit quod Petrus, Jacobus & Joannes, inter Discipulos, primatum tenebant, quæ omnia explicanda sunt, cum Jacobum & Joannem æquales faciat Petro. Locus verò Cyrelli necessariò etiam explicandus est, cum à Bonifacio VIII. supra citato definitum sit, non esse duo Ecclesiæ capita, sed unum, scilicet Petrum. Paulo igitur competere potest nomen & ratio Capitis Ecclesiæ, ratione Apostolatûs & magisterij, sed soli Petro convenit, ratione primatus & supremæ potestatis.

69. Obijcitur quartò, expressè dici à SS. Patribus, non esse Paulum inferiorem Petro, sed omnino ipsi æqualem : nam Ambrosius lib. 2. de Spiritu Sancto in fine : *Paulus*, inquit, *non inferior Petro*. Et Hieronymus in cap. 2. ad Galat. dum explicat verba Apostoli dicentis se contulisse suum Evangelium cum Petro, Jacobo, & Joanne, dicit quod inter conferentes æqualitas est ; & Theodoretus in cap. 11. 2. ad Corinth. *Paulus*, inquit, *non erat minor Petro* : Chrysostomus item in caput 2. ad Galat. *Paulus non se comparat aliis Apostolis, sed eorum Capiti, ostendens eandem utrique capitis dignitatem* : & homil. 1. in Epist. ad Rom. notat mutatum fuisse Paulo sicut & Petro nomen, ut eandem quam habebat Petrus, Caput Apostolorum, supra eos prærogativam, & ipse haberet.

Tom. IV.

A Respondeo hæc omnia duntaxat commendationem D. Pauli continere, & necessariò explicanda esse, ut ex loco Hieronymi constat, cum loquatur non solum de Paulo, & Petro, sed etiam de Jacobo & Joanne, inter quos dicit æqualitatem intercedere. Et sanè familiare est Patribus, ut inferiores cum majoribus conferendo, eos æquales dicant : sic enim D. Chrysostomus homil. 42. in D. Ignatium dicit, quod Petrus Antiochiâ discessurus, Ignatium, alterum Petro parem præceptorem instituit ; & D. Martinus dicitur *Apostolis comparari*. Potuit tamen & verissimè dici Paulus non esse inferior Petro, quantum ad Apostolatûm, vel passionis meritum, vel quoad alias dotes : non tamen quantum ad primatum, & potestatem, sive jurisdictionem Pontificis ; hæc enim duo necessariò distinguenda sunt, jurisdictio scilicet, & magisterium. Primum pertinet ad Petrum : alterum verò ad Paulum, qui sapientiâ ceteros superavit. Imò etiam omnibus Apostolis magisterium tribui potest ; præcipuè verò iis qui scripserunt libros Canonicos, ut notat Cano lib. 2. de locis Theologicis cap. 18. Et hoc explicuit D. Augustinus cum dixit serm. 79. de Petro & Paulo, quod ambo claves à Domino acceperunt, Petrus potentia, Paulus sapientiâ : quod etiam discrimen statuit Fortunatus versibus infra referendis. Ex quibus facile explicatur etiam locus Chrysostomi, Paulum se meritò comparare, non solum ceteris Apostolis, sed etiam Petro, cui non est inferior, imò quem etiam superat in ratione magisterij Ecclesiæ : quamvis etiam aliâ ratione æqualis sit, quòd nimirum speciali ratione fuerit vocatus ad regimen Ecclesiæ Gentium : *Qui enim* (inquit cap. 2. ad Galat.) *operatus est Petro in Apostolatû circumcissionis, operatus est mihi inter gentes.*

Obijcitur ultimò : D. Paulus dicitur ab Ecclesiâ thronum duodecimum possidere : At nisi in eodem throno sederet cum Petro, non duodecimum, sed decimum-tertium possideret : Ergo &c. Resp. quod si quid hoc argumenti probaret, demonstraret Paulum esse ultimum omnium Apostolorum, non verò æqualem Petro in autoritate & potestate, thronus enim Petri non duodecimus, sed primus est. Cur verò dicatur thronum duodecimum possidere, plures rationes afferri possunt. Prima, quòd nomine duodecimi Throni, ipse Senatus Apostolicus intelligatur, ut olim apud Romanos, triumviratûs nomine, Magistratus intelligebatur : unde sicut olim triumvirum fieri, nihil aliud significabat, quàm dignitatem magistratûs obtinere : ita possidere thronum duodecimum, est inter Apostolos numerari. Secunda, quòd cum Paulus ordinatus est Apostolus, Jacobus occisus fuerat, nec erant nisi undecim Apostoli : nam Actuum 12. Jacobus occisus est, & Actuum 13. cum Discipuli jejunantes imposuerunt Paulo manus, Paulus ordinatus est Apostolus, & thronum duodecimum, Jacobi morte vacuum, meruit possidere. Vide Baronium Tomo 1. ad annum 44. Tertia ratio subtilior est : quòd cum Petrus à Christo Domino ipsius Vicarius creatus est, videtur locum Christi tenuisse, nec jam inter ceteros Apostolos, quibus superior erat, numerari : unde solum esse videbantur undecim Apostoli, & ut numerus imperfectus compleretur, Paulus ad Apostolatûm vocatus, thronum duodecimum meruit possidere. Hanc rationem tradit Reginaldus Polus lib. 2. ad Regem Angliæ.

Nn

Et si satis superque soluta sint quæ obijci solent, ut propterea magis eorum argumentorum infirmitas manifesta sit, unum addendum est: scilicet omnia quæ SS. Patres D. Paulo tribuunt, quibus conantur Adversarij probare indivisam esse auctoritatem & potestatem inter Petrum & Paulum, eadem ab iisdem Patribus de cæteris Apostolis, maxime verò D. Jacobo, imò etiam aliis Episcopis, aliquando dicta fuisse.

In primis dictus est D. Jacobus Romæ Episcopus ab Epiphonio hæresi 41. ubi inquit Hyginum Papam successisse in Episcopatu Romano, Jacobo, Petro, & Paulo; atque adeò Jacobum fuisse Romæ Episcopum, & quod maius est, Episcopum Romanum. Dicitur præterea Jacobus Petri successor, ab eodem Epiphonio eodem loco, ubi dicit Hyginum Papam novam successionem habuisse à Jacobo, Petro, & Paulo. Propterea dicitur à Chrysostomo homil. 33. in Matth. Apostolatū apicem tenuisse, & à Clemente Romano Epist. 1. gubernasse omnes ubique Ecclesias Christi Domini: ac demum Clemens Epist. 1. Jacobum vocat Episcoporum Episcopum, & Pontificem Pontificum, quo sanè nihil unquam dici majus potuit de D. Paulo.

Tandem ea omnia de cæteris etiam Episcopis interdum dicta sunt, quæ supremam & primam dignitatem Ecclesiæ significare videntur. In primis enim ipse Senatus Apostolicus, ut refert D. Clemens lib. 6. Constitutionum. cap. 14. ad quosdam Syriæ Episcopos, *Scripsimus vobis hanc Catholicam doctrinam, ad confirmandos vos, quibus universalis Episcopatus creditus est, & commissus*: & D. Ignatius Epist. 6. vocat Episcopum Philadelphium, *Episcopum communem Ecclesiæ*. Præterea Episcopus interdum dicitur Vicarius Christi in cap. 2. *Mulier debet*. 37. quæst. 5. ubi expressè dicitur, *Episcopus Vicarius Domini est*. Concilium etiam Toletanum 6. in Exordio vocat Episcopos Hispaniæ & Galliæ *Summos Pontifices*; & Zozimus Episcopus ad Hesichium, præcipit ut Clerici per gradus Clericatus ad locum ascendant Summi Pontificatus, id est, Episcopatus. Quis verò ideò dixerit omnes Episcopos patres dignitate esse Petro, & habere regimen totius Ecclesiæ? Placuit hæc pauca ex multis quæ addi possent advertere, ut quisque intelligat, plurima interdum apud sanctos Patres repetiri de D. Paulo, tum de aliis Apostolis, ac etiam Episcopis, quæ non nisi meram commendationem continēt, nec summo vigore intelligi unquam possunt: sed de aliis Apostolis, aut Episcopis, certā quādam analogiā, & proportionē dicuntur, quæ de solo Petro cum omni proprietate vera sunt.

72. Questionem hanc fusè satis explicatam, de uno in duobus, Petro scilicet & Paulo, Pontifice, & ut ita dixerim inversā & imperiali oppositā aquilā, in qua sub uno capite duplex corpus, non duo capita in uno corpore esse dicuntur: Elegantibus versibus claudio, Fortunati lib. 3. Carminum, quibus utriusque Petri & Pauli propriissimas dotes explicat.

Cælorum porta læti duo lumina mundi,

Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus,

Inter Apostolicas radiant luce coronas,

Doctior hic meritis, celsior ille gradu.

Hunc per corda hominū reserātur, & astra per illū:

Quos docet ille stylo, suscipit iste polo.

Pandit iter cæli hic unus dogmate, clavibus alter:

Est via cui Paulus, janna fida Petrus.

ARTICVLVS III.

Utrum in primatu totius Ecclesiæ sit aliquis legitimus Petri successor, illeque sit solus Romanus Episcopus, & quo jure primatus universalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano conjunctus sit?

§. I.

Tribus conclusionibus triplex hæc difficultas resolvitur?

Dico primò, auctoritatem regendi universalem Ecclesiam, non esse cum officio & persona Petri extinctam, sed ad successores ejus transmissam.

Conclusio est certa de fide, & colligitur ex verbis illis Christi Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*, quibus Petrum totius Ecclesiæ fundamentum esse significavit: de ratione enim fundamenti est, non modò ædificium inchoare, sed etiam illud perpetuò sustentare & conservare; ruente quippe fundamento, totum ædificium ruat, necesse est: cum igitur adhuc Christi Ecclesia duret, durare quoque debet fundamentum, in quo sustentetur: At illud non durat in persona Petri: Ergo in ejus successoribus.

Idem deducitur ex illis verbis Christi Joan. 21. *Pasce oves meas*, quibus traditur Petro potestas pascendi & regendi omnes oves Christi: Sed Petrus non pavit per se omnes oves Christi: Ergo pavit eas per suos successores, quibus Pastoris officium communicavit.

Adde Christum Ecclesiæ in nova lege non negasse quod Synagoga in veteri concessit: At Synagoga quandiu perstitit, per supremos Pastores Monarchicè fuit gubernata, statimque ut aliquis è vivis migrabat, alter ex Tribu Levitica in ejus locum succedebatur: Ergo Ecclesia in nova lege iisdem supremis Pastoribus sibi invicem succedentibus debet gubernari; cum hoc tamen discrimine, quòd successio Pontificum per carnalem propagationem in veteri lege descenderet, non tamen in nova lege, in qua status virginis cæteris aliis statibus supereminet, sed per supernaturalem quandam propagationem, nimirum electionem, quā positā, personæ electæ & de signatæ, supernaturaliter Christus Pastorem confert potestatem, & primatum universalis Ecclesiæ.

Confirmatur: Christus teste Apostolo ad Ephesios 4. constituit in Ecclesia Pastores & Doctores duraturos usque ad finem mundi, *Donec occurramus omnes in unitatem fidei &c.* ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Quod si Pastores alios voluit Christus esse perpetuos, multò magis caput Pastorum, cum magis necessarius sit ad vitanda schismata, extinguendas hæreses, & ad regendam universalem Ecclesiam.

Confirmatur ampliùs ex fine ipsius supremi Pontificatus: cum enim non in commodum Petri, aut supremi Pontificis, sed in utilitatem Ecclesiæ institutus sit, juxta illud Augustini de Pastoribus cap. 1. *Quod Christiani sumus, propter nos est, quod verò prepositi propter vos*; & Ecclesia ad

finem usque sit permansura, non debuit, moriente Petro, interire supremus ille Pontificatus, sed tandiu permanere, quandiu ipsa Ecclesia.

77. Demum eadem veritas suaderi potest ex facto Petri, qui morti proximus, sibi successorem Clementem declaravit, ut ipse Clemens lib. 3. Constitution. cap. 46. & alij gravissimi Authores testantur; etsi alij Petro substituant Linum, & Cle-
73. tum, & quarto Clementem: quam controversiam sic componit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 1. ut Clemens fuerit à B. Petro declaratus successor in Pontificia dignitate, quam ipse humilitatis causa cessit Lino, & Cleto, qui in Pastoralis officio Petro fuerant adiutores, quibus defunctis, successit ipse quartus Pontifex: Non potuisset autem Petrus sibi in successorem aliquem eligere, nisi à Christo didicisset, Pastoralem dignitatem fore semper in Ecclesia per unum aliquod supremum caput conservandam, quia nec ipse poterat propriâ autoritate illam instituire, quam ut Vicarius acceperat, vice Christi gesturus, nec in aliam formam à Christo non traditam commutare: Ergo &c.

Dico secundò, Romanus Episcopus est legitimus Petri successor in primatu totius Ecclesie.

78. Probatur primò conclusio ex Conciliis generalibus, qui successionem in Petri sede & primatu, generalemque jurisdictionem in totam Ecclesiam, tribuunt Romano Pontifici. In primis enim Concilium Nicænum I. Can. 39. hæc habet: Sic præest Patriarcha iis omnibus, qui sub potestate ejus sunt, sicut ille qui tenet Sedem Romæ, caput est & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicumque contraxerit, à Synodo excommunicabitur. Hunc Canonem refert Franciscus Amicus Tract. de fide disp. 6. sect. 3. atque ex Turriano, & Alano Copio, cum Arabicè extaret in Bibliotheca Marcelli II. Romani Pontificis, eumque ex codice Arabico, in Latinam linguam, in hunc modum transferri. Veneramur secundum Scripturas & Canonum definitionem, sanctissimum Romanæ antiquæ Ecclesie Episcopum, primum esse & maximum omnium Episcoporum. Ut autem cunctis diuisionis sue nationibus, imperat Patriarcha, & leges indicit; & ut à principio Petrus Christi Vicarius, religioni, Ecclesiis, ceterisque ad Christum rebus pertinentibus, præfatus, Principum Christianorum, Provinciarum, & omnium Gentium Dominus & rector erat: ita ille cujus Principatus Roma est, Petro similis, & autoritate par, Patriarcharum omnium dominatus & Principatus obinet. Huic Sanctioni si quis repugnauerit, & obistere ausus fuerit, totius Synodi decreto anathemati subji-
74. ciatur.

79. Eadem veritas constat ex Concilio Nicæno 2. Act. 2. ubi approbatur Epistola Adriani Papæ, in qua habentur hæc verba: Cujus (Ecclesie Romanæ) fides per totum terrarum orbem primatum obtinent lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit. Et ex Lateranensi sub Innocentio III. cap. 5. ubi sic dicitur: Romana Ecclesia, dispo-
76. nente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis dignitatem obtinens, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra. Et ex Lugdunensi sub Gregorio X. ubi Concilium vocat Pon-

Tom. IV.

A tificem, Vicarium Christi, & successorem Petri. Demum ex Florentino sub Eugenio, in decreto unionis, in quo sic habetur: Item definimus, S. Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum, successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in B. Petro ascendendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Probatur secundò conclusio ex consensu & testimonio primorum & antiquissimorum Pontificum Romanorum, qui licet in propria causa, suspecti esse non debent, cum ferè omnes fuerint Sancti, & Martyres, subindeque tantam dignitatem falsò sibi arrogare voluisse, credibile non est. Eorum testimonia fusè expendit Andreas Du-
80. vallius, in Tractatu de suprema Pontificis potestate, parte 1. quæst. 6. eaque in tres classes distribuit, nobis tria vel quatuor, quæ ad rem magis faciunt, refert sufficere. Primum sumitur ex Epistola 3. Anacleti, qui B. Clementi successit, tertio enim capite illius Epistolæ, hæc verba leguntur. Hæc Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domi-
81. no Salvatore nostro, primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse Beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam. Prima ergo sedes est cælesti beneficio Romana Ecclesia, quam Beatissimi Petrus & Paulus suo Martyrio consecrarunt. Sic Roma, quæ prius erat caecodæmonum artificio, omnium errorum mater & alutrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum ritibus abjectis, filiorum Dei, exorto Sole justitiæ, facta est copiosa propagatrix.

Similia docent alij Pontifices: Alexander I. Epist. 91. Relatum est (inquit) ad hujus sanctæ & Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipsa dicente Principi Apostolorum, Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam. Pius I. Christus hanc Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum caput esse præcepit &c. Lucius I. Epistola ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ: Ecclesia Romana, Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum. Demum Julius I. Epist. 1. ad Orientales: Ipsa namque (Ecclesia Romana) omnibus major & prælata est Ecclesiis, quæ non solum Canonum & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris voce, singularem obtinuit principatum: Tu es Petrus (inquit) & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.

82. Probatur tertio conclusio ex continua successionem Pontificum Romanorum, in Petri Sede, descripta & testata ab antiquissimis Authoribus; Irenæo lib. 3. cap. 3. Tertulliano in carmine contra Marcionem lib. 3. in fine, Epiphonio hæresi 27. Optato lib. 2. contra Parmenianum, Augustino lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. & plurimis Historicis, quibus non minùs credendum est, quàm referentibus continuam seriem Imperatorum & Regum.

83. Demum probari potest conclusio, & Ecclesie Romanæ primatus demonstrari: Primò ex eo quod Sedes Romana semper in fide pura & illibata permanlit, cum tamen reliquæ omnes qua-

Nn ij

tuor Patriarchales sedes, Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, Ierosolymitana, à vera fide & Apostolica doctrina interdum defece- rint: illa enim potius sedes censetur succedere Ca- thedræ Petri, quæ constanter servavit & servat doctrinam Petri. Unde Marcus Papa Epist. ad Athanasium, cuius mentio fit in Florentino sess. 20. *Hæc sancta, inquit, & Apostolica mater om- nium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per omni- potentis Dei gratiam, à tramite Apostolice tra- ditionis nunquam aberrare probatur, sed illiba- ta sine tenus permanet, secundum ipsius Domini pollicitationem.* Et Lucius I. Papa & Martyr in Epistola ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ: *Eccle- sia Romana, Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolice traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis depravata novitatibus succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem, Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.*

84. Secundò, quia in causis & controversiis fidei, ad Romanam Ecclesiam, velut ad sacram ancho- ram, SS. Patres semper recurrerunt. Nam Ani- cetum Papam à Polycarpo, & Eleutherum ab Ire- næo, in dubiis circa res fidei, consultum fuisse, scribit Hieronymus in libro de viris illustribus: Cyprianus etiam consuluit Cornelium, ut constat ex variis ejus Epistolis ad eundem Pontificem; & Augustinus cum aliis Episcopis Africæ recurrit ad Innocentium I. in quæstionibus fidei, ut patet ex Epistola 90. & 92. Item Hieronymus Damasum Papam consuluit super quæstionem de tribus hy- postasibus, Epist. 57. ubi sic ait: *Inde mihi Cathe- dram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam cen- sui consulendam, inde tunc anime mea postulo cibum, unde olim Christi indumenta suscepi, à Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovium flagito.* Similiter in toto orbe in causis hæ- reticis, ad Romanos Pontifices missi fuerunt hære- tici, ut vel errores suos retractarent, vel eorum damnationem subirent, ut videre est apud Baro- nium in Annalibus Ecclesiasticis: de Marcione quidem, anno 146. de Valentino, anno 155. de Origene & ejus fautoribus anno 248. de Africa- nis, anno 254. de Ursacio & Valente, anno 350. de Vitali, anno 373. de Pelagio & Celestio, anno 418. & 430. & de aliis deinceps, iisdem sæculis & annis quibus eorum hæreses exorta sunt.

85. Tertiò, Romanus Pontifex non solum erga alios Episcopos & Archiepiscopos, sed etiam erga Patriarchas suam jurisdictionem & authori- tatem sæpè exercuit, adeò ut Nicolaus I. Episto- lā ad Michaëlem Imperatorem, octo Patriar- chas Constantinopolitanos à Romanis Pontifici- bus depositos enumeret, inter quos fuit Anti- mus, seu Antemus, quem frementibus & furen- tibus Augusto & Augusta, intrepidè Agapetus deposuit, & in ejus locum Menam virum san- ctissimum substituit. Damasus etiam Flavianum Patriarcham Antiochenum deposuit, & ad di- cendam causam, Romam venire coëgit, ut con- stat ex Theodoro lib. 5. hist. cap. 3. Neque solum Romanus Pontifex, Patriarchas quando pecca- runt deposuit, sed etiam suis sedibus, si ab aliis quibusdam injustè ejectos esse contingeret, re- stituit, ut notum est de Athanasio Alexandrino, Paulo Constantinopolitano, & Marcello Anci- rano, à Synodis Orientalibus depositis, quos Julius I. restituit: de Chrysostomo item, quem Innocentius I. ab exilio revocari mandavit, & Arcadium Imperatorem, ejusque uxorem Eudo-

86. xiam, propterea anathemate percussit, ut con- stat ex Nicephoro libro 3. cap. 34.

Quartò, Romanæ Ecclesiæ primatus ex eo aperte colligitur, quòd semper in Conciliis, in quibus Romanus Pontifex non interfuit, datus est primus locus Legatis ejus, quidquid in con- trarium dicat Calvinus. Nam in Nicæno præle- disse Romani Pontificis Legatos constat, qui enim primi subscripserunt, fuerunt Hosius Epis- copus Cordubensis, Vitus & Vincentius, Ro- manæ sedis Legati, ut videri potest apud Spon- danum anno 325. num. 7. & omnes ferè graves Scriptores qui de Nicæna Synodo tractant, tes- tantur. In secundo Concilio Generali, nimi- rum Constantinopolitano primo, autoritate Damasi celebrato, nulli præsentibus fuerunt Le- gati Pontificis, sed in eo Nestorius Constantino- politanus Episcopus præsedir: quia (ut inquit Bellarminus libro 1. de Concil. cap. 19.) cum vellet Pontifex, post convocatos Orientales Episcopos Constantinopolim, eos vocare Ro- mam ad celebrandum ibi Concilium, iis iustas ob causas se excusantibus, non misit Constanti- nopolim Legatos, sed permisit ut in eo præside- ret Episcopus Constantinopolitanus. In tertio generali, scilicet Ephesino, celebrato anno 431. præsedir Cyrillus Episcopus Alexandrinus, no- mine Celestini I. ut constat tum ex Epistola Ce- lestini ad Cyrillum, in qua suas vices illi man- dat, eumque instruit, quo pacto debeat ad Nes- torium excommunicandum se gerere: *Quamobrem (inquit) nostra sedis autoritate adscita, nostræ- que vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris &c.* Tum ex Epistola Cyrilli ad Nestorium, in qua, nomine Romani Pontificis, illi excommu- nicationem fulminat, nisi resipiscat. In quarto Concilio generali, qui fuit Chalcedonen- se, loco Romani Pontificis Leonis primi, præse- derunt Paschasius & Lucentius Episcopi, & Bo- nifacius ac Basilius Presbyteri, qui & primi sub- scripserunt, & sententiam contra Dioscorum di- xerunt, ut ex actis hujus Concilij liquet. In quinto Concilio Generali, quod fuit Constan- tinopolitanum secundum, Vigilius nullos misit Legatos, quia ut historia hujus Concilij refert, volebat illud celebrare in Italia. Sed hoc non ob- stante, Concilium illud obtinuit vim æcumeni- ci, propter Romanorum Pontificum approba- tionem; nam & ipse Vigilius, licet non statim, & alij, approbarunt, ac ratum habuerunt. Unde D. Gregorius libro 1. Epistolā 24. non minus hoc Concilium, quàm reliqua quatuor priora, universali Ecclesiæ consensu ait esse celebrata. In sexto generali, quod fuit Constantinopolitanum tertium, anno 680. celebratum, præsedir Pon- tifex Romanus per suos Legatos, Theodorum & Gregorium Presbyteros, & Joannem Diaconum, & Constantinum Subdiaconum, qui ut ex Concilio apparet, primi ad sententiam dicen- dam nomine Romani Pontificis interrogantur: primi sententiam dicunt. Et licet primus Impera- tor & federit & subscripserit, non tamen ut Index, sed honoris causā, & tantum ut cōsentiens iis quæ à Synodo decreta fuere: *Ego (inquit) N. fidelis in Christo Jesu Deo Imperator Romanorum, con- sentiens omnibus quæ definita sunt, & ea reci- piens.* Non igitur ipse definivit, sed quod defi- nitum fuerat acceptavit. Contra verò Concilij Præsides ita subscribunt: *Ego N. definitus sub- scripsi.* In septimo Concilio generali, quod fuit

Nicenum secundum, anno 787. celebratum, loco Pontificis Romani, praefederunt Petrus Archiepiscopus, & Petrus Presbyter, Abbas Monasterij S. Sabae urbis Romanae, qui ut ex Concilio constat, primi sederunt, primi interrogati sententiam tulerunt, primi subscripserunt. In octavo generali, quod fuit Constantinopolitanum quartum, anno 869. celebratum, praefederunt Romani Pontificis Legati, Donatus & Stephanus Episcopi, cum Marino Diacono: qui primi sententiam dixerunt & subscripserunt, subscribente Imperatore post Patriarchas, etiam si rogatus fuisset, ut ante omnes subscriberet. In aliis Conciliis generalibus postea in Ecclesia celebratis, ipsi Pontifices Romani, per se ipsos immediate praefederunt, ut in quatuor Lateranensibus, in duobus Lugdunensibus, in Viennensi, Florentino, & Lateranensi quinto, sub Leone X. celebrato. In Tridentino verò sub Paulo III. incepto, & sub Pio IV. finito, praefederunt varij Cardinales, à Summis Pontificibus qui tunc Ecclesiam regebant, delegati.

Denique suaderi potest conclusio ex SS. Patribus, praesertim ex D. Bernardo libro 2. de consideratione cap. 8. ubi Eugenium Romanum Episcopum alloquens, sic ait: *Age indagemus diligentius quis sis, quam geras pro tempore personam in Ecclesia Dei? Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuël, Petrus potestate, unctioe Christus: Et infra: Alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt.*

Demum ad ejusdem veritatis confirmationem placet hic transcribere titulum Epistolae quam Orientales ad Julium III. per Simonem Sulaeam, totius Orientis ab Euphrate usque ad Iudaeos Patriarcham scripserunt, quam Masius Bruxellanus ex Syriaco Latinam factam publicavit, ut testatur Spondanus anno 1553. num. 16. Hujus ergo ad Pontificem Epistolae haec erat inscriptio: *Patri Patrum, & Pastori maximo, concinnanti mitras, ungentique Sacerdotes & cingenti zonis, Petro temporis nostri, ac Paulo dierum nostrorum, & cingulo comprehendenti universum cœtum Christianorum: qui es loco Christi Domini nostri. Tu sedes in sede alta & sublimi Principis Apostolorum, tenentis claves regni cœlestis: cui ore suo salutare Dominus noster dixit, Quidquid ligaveris in terra, erit ligatum & in cœlo; & super eum fundavit Ecclesiam suam, adversus quam porta inferi nihil valebunt in generatione generationum. Nunc porro tibi dedit eam Christus Deus noster, & Salvator noster, ut sedear super eam. Tu item es fons vivus, cujus aqua non deficiunt; & quisquis sitiverit, aquam est, ut ex te bibat aquas vitales, ut sedet sitim suam. Tu es lucerna que non exstinguitur, sed illustrat omnes creaturas, ut candela que est supra candelabrum, & ut Joannes Baptista, qui posuit dexteram suam super caput Christi Dei nostri; & in te videt lumen universa Respublica Christiana, qua est proles Ecclesia sancta. Tu es murus fortis civitatis, & matris civitatum Romae, quam piscatus est Princeps Discipulorum Petrus, & prudens architectus Paulus, qui lumen praeberunt omnibus hominibus discentis atque implicatis errore Sarana. Tu es*

Tom. IV.

caput omnium Patrum, sicut erat Petrus caput omnium Discipulorum, cui est data sedes alta & sublimis in terra; sic his ultimis temporibus alta & excelsa est sedes tua, ipsa Roma, magna & celeberrima.

Dico tertio, conjunctionem primatus universalis Ecclesiae cum Episcopatu Romano, neque esse de jure humano Imperatorum, nec de jure purè Ecclesiastico, seu ex sola dispositione Petri, qui talem conjunctionem fecit, sed etiam de jure divino instituto à Christo, id est ex speciali ordinatione Christi, subindeque ad Ecclesiae universalis primatum, non posse alium eligi, quàm Episcopum Romanum.

Prima pars constat, quia ut supra art. 1. ostensum est, Principes saeculares nullum jus habent in res Divinas & Ecclesiasticas, sed solum in temporales & humanas. Unde falsum est quod de Phoca Imperatore, & Pipino Gallorum Rege commentatur Calvinus, quod ille primatum dederit Bonifacio III. hic jurisdictionem in Galliam Zachariae; constat enim ante Pipinum Romanos Pontifices jurisdictionem spirituales habuisse in Gallos, & Phocam tantum declarasse Imperiali Edicto contra Cyriacum Patriarcham Constantinopolitanum Oecumenici titulum sibi usurpantem, soli Episcopo Romano jure competere: ut videre est apud Baronium anno 606.

Secunda verò pars non est ita certa: nam Sotus in 4. dist. 14. quaest. 2. art. 3. Bannez 2. 2. quaest. 1. art. 10. dubio 4. & alij docent, jure divino supremum Pontificatum non esse annexum Episcopatu Romano, sed tantum ex jure Ecclesiastico, & ex facto D. Petri, qui cum primatum à Christo esset consecutus, Antiochenam sedem deseruit, & Romae sedem suam usque ad mortem figere voluit; ideoque dicunt Ecclesiae constitutione fieri posse, quod Summus Pontifex Sedem Romanam cum altera mutet, seu alibi transferat, vel etiam quod nulli se sedi addicat, instar Pauli, qui nusquam sedem statam & fixam habuit.

Opposita tamen sententia, quam tenent Cajetanus opusculo de primatu Romanae Ecclesiae, Canus libro de locis Theol. cap. 4. §. 5. & 6. Turremata in cap. Rogamus, Bellarminus, Valentia, & alij, quibus novissimè subscripsit Dominicus à S. Trinitate, Carmelita discalceatus, tomo 3. Bibliothecae Theologicae lib. 3. sect. 4. cap. 8. videtur probabilior: Tum quia Marcellus Papa in Epistola ad Antiochenos scribit Petrum Domino jubente venisse Romam, & ibi fixisse suam sedem: *Petri sedes* (inquit) *primitus apud vos fuit, postea jubenente Domino, Romam translata est.* Tum etiam, quia D. Ambrosius libro 5. Epistolae 32. D. Gregorius in explicatione 4. Psalmi poenitentialis, & Egesippus libro 3. de excidio Hierosolymitano cap. 2. narrant, cum Petrus carcere solutus, Romam exiret, Christum illi occurrisse & Petro interroganti, quod pergeret, respondisse: *Vado Romam iterum crucifigi.* Quo responso Petrum intellexisse dicunt, sibi divinitus mandari ut Romam reverteretur, & ut morte sua supremum orbis Pontificatum in Romana Sede perpetuo stabiliret. Quod urget Papa Gelasius in decreto de Scripturis Apocriphis. Addo quod, nisi speciali Dei ordinatione, ac divino proinde jure, supremus Ecclesiae primatus esset inseparabilis à Sede Romana, fuisset aliquando separatus; cum tot fuerint hujusmodi separationis occasiones, tempore Imperatorum,

Nu. iij

Tyrannorum, Gothorum, & aliis, quod tamen nusquam factum legimus. Quando enim Summi Pontifices Galli, Clemens V. Joannes XXII. Benedictus X. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. & Gregorius XI. Avenioni in Gallia 73. annorum spatio commorati sunt, non definebant esse Romani Episcopi, & dignitas Pontificatus semper remansit in illis Pontificibus Episcopatu Romæ conjuncta, ut videre est in Bullis Pontificiis ibi ab illis datis.

21. Varias autem hujus divinæ ordinationis & institutionis assignat congruentias Baronius Tomo primo Annalium, quarum præcipua ex urbis splendore & majestate sumitur: decebat enim ut sicut olim ante Christi adventum electa fuit Jerusalem caput & sedes omnium Synagogarum, in qua Summus Pontifex cum suo Concilio resideret: ita post ejus in cælum ascensum, eligeretur Roma caput & sedes totius orbis, in qua Christi Vicarius resideret, ut lux veritatis qua in omnium gentium revelabatur salute, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus diffunderet (ait Leo Papa) magisque constaret doctrinæ Evangelicæ virtus & efficacia, ut quæ fuerat omnium errorum auctrix, fieret magistra cultrixque veritatis. Hic (subdit idem Papa) conculcanda Philosophiæ opiniones, hic dissolvenda erant terrena sapientiæ vanitates, hic confutandi demonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda: ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid usquam fuerat vanis erroribus insitutum.

Serm. 1.
de SS.
Petro
& Paul.
10.

Ex his intelliges, Romanum Episcopatum, & primum totius Ecclesiæ, non esse duas sedes, aut duos Episcopatus, sed unum, qui Petri factus, & Christi mandato, erectus est ad Episcopatum totius orbis, in cujus signum non datur nisi unum pallium Episcopo Romano, ut notavit Bellarminus libro de Pontifice.

§. II.

Solvuntur objectiones.

22. **C**ontra primum Romani Pontificis obijciunt hæretici: Concilium Nicænum non totum orbem, sed certam regionem regendam assignat Romano Pontifici: Ergo non habet primum in totam Ecclesiam. Consequentia patet, Antecedens probatur ex Canone sexto illius Concilij, ubi sic habetur: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est.* Quibus verbis (inquit Calvinus) assignatur Romano Pontifici certa regio gubernanda, eaque perexigua, declaraturque unus ex Patriarchis, non autem caput aliorum.

23. Verum ad hunc Canonem duplex adhiberi potest solutio. Prima est, Nicænum eo loco non comparare Episcopum Alexandrinum cum Romano Pontifice, ut Pastore universali, sed tantum ut Patriarcha Occidentis, & in eo ambos ut Patriarchas paritem velle habere potestatem in Ecclesiis variarum Provinciarum, sibi ut Patriarchis subditas. Quod ut magis explicetur: Sciendum est, Romanum Pontificem, præter Summum totius orbis Pontificatum, cujus beneficio in quolibet Patriarchas jus habet, tribus aliis dignitatibus instructum & decoratum esse. Prima, quod sit Episcopus urbis Romæ: Secunda, quod Archiepiscopus, tertia, quod Pa-

24. triarcha. Quatenus Episcopus, potestas ejus Romano districtu coercetur; ut Archiepiscopus latius se extendit, sic enim vicini Episcopi ei specialius quam reliqui totius orbis subijciuntur: quatenus verò Patriarcha, quasdam Provincias, ut & reliqui Patriarchæ, sub suo regimine habet, multo tamen ampliores quam alij. In dignitate ergo Patriarchatus, parilis illi mos est, juxta prædictum Canonem Concilij Nicæni, cum Patriarcha Alexandrino, & cæteris Patriarchis, quia nimirum ut Patriarcha, præest suis Provinciis, ad modum aliorum Patriarcharum.

Secunda, & fortè melior hujus Canonis explicatio est, Alexandrinum Patriarcham debere gubernare illas Provincias, quia Romanus Pontifex, ante omnem Conciliorum definitionem, consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ, & Pentapolis; sive consuevit per Alexandrinum Episcopum illas Provincias gubernare. Sic intellexit hunc Canonem Nicolaus I. in Epistola ad Michaëlem, ubi ait Concilium Nicænum nihil statuisse circa Romanam Ecclesiam, quoniam potestas ejus non ab hominibus, sed a Deo est, sed tantum ex forma Romanæ Ecclesiæ constituisse statum aliarum Ecclesiarum. Illique videtur suffragari textus Græcus, *τοῦτο οὐκ ἐστὶν ἐκ τῶν ἀνθρώπων*, id est hoc allatum est, quod non significat paritatem, seu æqualitatem inter Alexandrinum & Romanum Episcopum, ut notat Joverius ad marginem hujus Canonis. Et sane quod hæc interpretatio legitima sit, & Concilium eo Canone non intendat certam regionem regendam assignare Romano Episcopo, eique primum in totam Ecclesiam denegare, ut contendit Calvinus, patet primò ex eo quod in Concilio Chalcedonensi Act. 16. à Paschasio Episcopo sic Canon ille sextus Concilij Nicæni recitatur: *Ecclesia Romana semper habuit primum, antiqua autem consuetudo servetur &c.* Quocirca Patres Concilij post lectum illum Canonem dixerunt: *Perpendimus omnem primum, & honorem præcipuum, secundum Canones, antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari.* Unde valde probabile est quod Bellarminus asserit in libris vulgatis deesse initium hujus Canonis sexti Concilij Nicæni, nimirum verba illa à Paschasio in Chalcedonensi recitata: *Ecclesia Romana semper habuit primum.* Nam Julius I. Epistolâ ad Orientales Episcopos ait ex decreto Nicænæ Synodi definitum esse, Romanam Ecclesiam inter omnes primatum tenere; ipsaque Sacrosancta Synodus Can. 39. suprâ conclus. 2. relato, & in Bibliotheca Marcelli II. Arabicè scripto, hæc habet: *Sic præest Patriarcha iis omnibus qui sub potestate ejus sunt, sicut ille qui tenet sedem Romæ, caput est & Princeps omnium Patriarcharum.*

Obijciunt secundò hæretici: Gregorius Magnus lib. 4. Epist. 22. recusat dici universalis Episcopus, & hoc nomen, tanquam prophænum, ac fastum & superbiæ præ se ferentem, respuit. Et in alia Epistola hæc scribit: *Eccè in præfatione Epistola quam ad me ipsum qui prohibui direxisti, superba appellationis verbum, universalem me Papam dicens imprimere curasti, quod peto mihi ultra sanctitas vestra non faciat.* Ergo censet B. Gregorius, Romanum Pontificem non habere primum in universam Ecclesiam.

25. Respondeo nomen hoc universalis Episcopi, æquivocum esse, & duobus modis intelligi & usurpari posse. Primò quidem ut ille qui dicitur

universalis, intelligatur esse solus Episcopus, omnium urbium Christianarum, subindeque alij non sint verè Episcopi, sed tantum vicarij illius. Secundo, ita ut alijs remanentibus verè Episcopis, ille curam habeat totius Ecclesie, sed generalem, & propria aliorum Episcoporum munia non excludentem. Cum ergo D. Gregorius nomen Episcopi universalis, tanquam propheticum, & factum ac superbiam præ se ferens recusat, tale nomen primo modo usurpat, ut patet ex verbis quæ subiungit, *quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit prebetur*. Et paulo post: *Si enim universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me facit universum* (id est Patriarcham in totam Egyptum, Lybiam, & Pentapolim) *recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant*. Et lib. 7. Epist. 69. ad Eusebium: *Si unus universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis*. Itaque cum Papa universalis Episcopus dicitur, tale nomen sumi debet in secunda acceptione, quatenus scilicet, reliquis Ecclesie Prælati in integrum remanentibus, tanquam caput universæ Ecclesie præest: sicut enim reliqua corporis membra, quamvis ab influxu capitis pendeant, propria munia obeunt; sic & Episcopi proprium munus & dignitatem servare non desinunt, quamvis à Pontifice tanquam ab universali capite dependeant, & omnis eorum potestas ab eo derivetur. Et in hoc posteriori sensu Concilium Chalcedonense nomen universalis Episcopi Romano Pontifici tribuit, & ante illud Concilium, plures Romani Pontifices, ut Sixtus I. Victor II. Leo I. illud legitime usurparunt: D. tamen Gregorius ab eo abstinuit, ut humilitate & modestiâ, Joannis Constantinopolitani, qui universalis titulum usurpabat, arrogantiam penitus frangeret atque confunderet.

97. Tertiò objicit Calvinus: Si ideo Romana Ecclesia primatum obtineat, quia illic usque ad extremum sedet Petrus, deberet Antiochia secundum locum tenere, cum longo tempore Antiochenam sedem Petrus tenuerit; Jerusalem tertium, cum in ea Jacobus sederit, & quartum Ecclesia Ephesina, cum eam fundaverint Paulus, & Joannes, qui usque ad mortem illam rexit: Sed hic ordo non servatur inter illas Ecclesias, cum Antiochiam præcedat Alexandria, & Jerusalem fuerit semper ultima: Ephesina verò Ecclesia nullum habuerit certum in Concilij locum: Ergo &c.

98. Respondeo numerum & dignitatem Patriarchalium sedium non pendere ex dignitate Apostolorum qui in illis sederunt, sed ex dispositione & voluntate Petri, ut testantur Anacletus, & B. Gregorius: ille enim Epist. 3. sic habet: *Prima sedes est celesti beneficio Romana Ecclesia. Secunda autem sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine, à Marco ejus Discipulo atque Evangelista consecrata est. Tertia autem sedes apud Antiochiam ejusdem, id est Beati Petri Apostoli nomine, habetur honorabilis: quia illic, priusquam Romam veniret, habitavit, & Ignatium Episcopum constituit*. Ille verò lib. 6. Epist. 37. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum hæc scribit: *Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in autoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in quam Evangelis-*

A *tam Discipulum misit. Ipse firmavit sedem in qua septem annis, quamvis discessurus, sedet. Cum ergo unus atque una sit sedes, cui ex autoritate divina tres nunc Episcopi præsentent, quidquid ego de vobis audio, hæc mihi imputo*. Hæc Gregorius: quibus verbis constat, hanc Patriarchalium sedium divisionem factam esse voluntate Petri. Cur autem Alexandria prælata sic Antiochiæ, cum tamen Antiochiæ Petrus per seipsum sederit, rationem reddit Baronius in compendio Spondani anno 45. num. 16 quia nimirum Alexandria tunc temporis erat quasi totius orbis theatrum, ad quod ex omnibus mundi partibus universæ ferè gentes confluebant.

ARTICVLVS IV.

An facta legitima electione Summi Pontificis, immediatè & per se primò sit de fide, hanc personam in particulari, v. g. Clementem IX. esse verè Pontificem?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Suppono primò, dupliciter aliquid dici posse 99.
Sive de fide divina, nimirum vel immediatè, sive formaliter, vel mediatè tantum, sive virtualiter. Illud dicitur esse de fide divina immediatè, quod immediatè revelatum est à Deo; mediatè verò, quod evidenter inferitur ex una propositione immediatè à Deo revelata, & ex alia lumine naturali nota. Exemplum veritatis primi generis est, quòd Christus sit homo; secundi, quòd sit sensibilis.

Suppono secundò, difficultatem in titulo propositam non esse de Summo Pontifice cujus electionem nullam esse declaravit Ecclesia, nec de eo cujus electio est dubia, & nondum determinata, sed de Summo Pontifice quem legitime electum fuisse declaravit Ecclesia, acceptando eum in Summum Pontificem. Ideòque in titulo posuimus, *facta legitima electione Summi Pontificis*. De illo ergo Pontifice legitime electo, & ab Ecclesia acceptato, qualis nunc est Clemens IX. feliciter Ecclesiam regens, inquirimus, an immediatè & per se primò sit de fide illum esse verè Pontificem & Ecclesie caput?

Partem negantem tenere videntur ex Thomistis Turrecremata, Cano, & Bannez, expressè verò eam docet extra Scholam D. Thomæ Alphonsus à Castro lib. 1. adversus hæreses cap. 9. ubi hæc scribit: *Quamvis credere tenemur ex fide, verum Christi successorem esse supremum totius Ecclesie Pastorem, non tamen tenemur eadem fide credere, Leonem, aut Clementem, esse verum Petri successorem, quia non tenemur ex fide Catholica credere, eorum quemlibet rectè & canonicè fuisse electum*. Unde concludit, quod qui hoc negaret, non esset dicendus hæreticus, sed schismaticus.

Affirmativa tamen sententia communior est inter Theologos, eamque ex Thomistis expressè docent Joannes à S. Thoma 2. 2. Tractatu de Summo Pontifice disp. 2. art. 2. & Dominicus à S. Trinitate tomo 3. Bibliothecæ Theologicæ lib. 3. sect. 4. cap. 10 ubi eruditè hanc questionem pertractat. Est tamen inter Authores hujus sententiæ aliqua differentia, quia aliqui dicunt

non statim ac aliquis est acceptatus ab Ecclesia in Summum Pontificem, esse de fide quod sit verus Papa, sed solum à tempore quo incipit exercere aliquos actus Summi Pontificis proprios, quales sunt definitiones propositionum ad fidem pertinentium; tunc enim (inquiunt) simul definit & determinat se esse Summum Pontificem. Alij verò dicunt statim ac pro Summo Pontifice acceptatur ab Ecclesia, de fide esse immediatè quod sit verus Papa.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

103. **D**ico primò: Fide divinà constat, Romanum Pontificem pro tempore existentem, esse legitimum Petri successorem, & verum Christi Vicarium, quando aliquid definit fide divinà credendum.

Probat: Cum Pontifex definit aliquid fide divinà credendum, de fide est ipsum tunc habere potestatem definiendi, & infallibilem assistentiam Spiritus Sancti: Ergo & tunc fide divinà constat, ipsum esse verum Pontificem. Consequentia patet, quia huiusmodi potestas & assistentia non datur nisi vero Pontifici, cui soli est promissa in persona Petri, cuius est successor: Christus enim non cuilibet, sed Petro tantum & legitimis successoribus dixit: *Tu es Petrus &c. Rogavi pro te &c. Pasci oves meas &c.* Matth. 16. Luca 22. Ioan. 21. Antecedens etiam videtur manifestum, cum enim Pontifex definit aliquid tanquam de fide tenendum, impossibile est quod fide credamus illud obiectum tanquam definitum, & non credamus ipsam definitionem esse legitimam, & consequenter ipsum definientem hic & nunc infallibilem auctoritatem & assistentiam Spiritus Sancti habere.

104. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Cum Pontifex definit aliquid fide divinà credendum, eo ipso seipsum proponit tanquam regulam fidei nostræ: Ergo tunc fide divinà constat, ipsum esse verum Pontificem. Antecedens manifestum est, Pontifex enim definiendo aliquid ad fidem pertinens, seipsum proponit tanquam iudicem legitimum controversiarum fidei, subindeque tanquam veram regulam doctrinæ nostræ fidei. Consequentia verò probatur. Quando aliquid est regula fidei, non minus credibile per fidem esse debet, quod sit regula, quam quod sit de fide id quod determinatur & regulatur per illam: sicut quando proponitur aliquis Scripturæ liber tanquam canonicus, quemadmodum est de fide totum id quod in eo continetur, ita quoque est de fide quod talis liber sit canonicus, & per revelationem Dei habitus; alias certi nunquam esse possemus de rebus definitis, & traditis in libro Sacro, ut per se patet: Ergo si cum Pontifex aliquid fide divinà credendum definit, eo ipso seipsum tanquam regulam fidei nostræ proponit, ad eandem quoque fidem tanquam quid credibile per illam spectare debet, illum esse verum Pontificem. Neque enim minus id requiritur in regula fidei viva, quam in regula mortua.

105. Dices, Licet Prædicatores Evangelij nobis res fidei credendas proponant, non tamen fide tenemur credere, quod sint legitimi Evangelij Prædicatores: Ergo pariter quamvis Pontifex aliquid de fide credendum nobis proponat, non tenemur fide divinà credere ipsum esse verum Pontificem, & legitimum Christi Vicarium, ac Petri

A successorem, sed sufficit quod fidem humanam & moralem certitudinem de hoc habeamus.

Sed contra: Hoc intercedit discrimen inter Summum Pontificem res fidei suâ definitione credendas proponentem, & inter ministrum Evangelicum illas prædicantem, quod iste non se habet tanquam regula determinativa rerum fidei, sed ut minister duntaxat intimans & denuntians alijs quæ credenda sunt: unde nec tenemur credere ipsum esse verum ac legitimum ministrum, nec illi qui credunt rebus ab eo propositis, moventur ad hoc ex illius auctoritate, sed ex credibilitate eorum quæ proponuntur, ita ut nisi sufficienter proponantur, talisque credibilitas eis innotescat, credere non teneantur. At verò Summus Pontifex proponit res credendas, tanquam animata fidei regula, vel supremus iudex determinans quænam credenda sint, ita ut ex ejus auctoritate obligentur fideles ad illas credendas: unde necesse est, ut illi non morali solum certitudine, cui absolute falsum subesse potest, verum etiam certitudine fidei, hunc numero Pontificem pro tempore existentem ac Ecclesiam regentem, verum esse illum Pontificem, & legitimum Christi Vicarium ac Petri successorem credant.

Dico secundò, de fide est, etiam immediatè, hunc hominem in particulari, v. g. Clementem IX. esse verum Papam, non solum ab eo tempore quo aliquid de fide determinavit, & Ecclesiæ credendum proposuit, sed etiam ab illo quo ejus electionem fuisse validam declaravit Ecclesia.

Probat: primò: Ab eo tempore de fide est immediatè, hunc hominem in particulari esse veram regulam fidei nostræ, subindeque verum Papam à quo acceptatus est ab Ecclesia in talem regulam: Sed à tempore à quo ejus electio valida declaratur ab Ecclesia, acceptatur ab ea in regulam fidei nostræ: Ergo ab eo tempore de fide est immediatè quod sit verus Papa. Minor constat, Major verò probatur. De fide est etiam immediatè quod Ecclesia errare non possit in acceptanda regula fidei nostræ, alias enim non esset de fide immediatè quod esset consequenter indefectibilis in acceptandis rebus fidei regulatis per talem regulam: Ergo ab eo tempore quo Ecclesia hunc numero hominem acceptat in regulam fidei nostræ, de fide est etiam immediatè quod sit verè talis regula.

Probat: secundò: De fide credimus hanc numero Ecclesiam in qua modò sumus esse veram & perfectam Ecclesiam: Sed facta electione pacifica, & acceptata, non potest haberi pro vera & perfecta Ecclesia illa quæ non fuerit unita cum suo capite visibili, eique subiecta: Ergo oportet quod sicut est de fide, hanc numero Ecclesiam esse veram & perfectam Ecclesiam, ita sit de fide, facta legitimâ electione, quod iste homo cui tanquam capiti suo unitur, sit verè caput Ecclesiæ, & Summus Pontifex.

Nec dici potest, quod sit tantum de fide in Ecclesia esse caput aliquod visibile, non tamen hoc determinatè & in particulari, sed hoc, aut illud, confusè & indeterminatè. Sicut enim nequit intelligi Ecclesia in communi, absque aliquo capite in communi; ita neque hæc determinata Ecclesia, absque determinato capite: nam hæc determinata Ecclesia ita includit hoc determinatum caput morale, sicut hoc determinatum corpus physicum, includit hoc determinatum caput physicum: Ergo sicut qui credit, Christum habere determinatum corpus physicum, fieri non potest,

rest, quin simul credat Christum habere determinatum caput physicum: ita qui credit hanc esse determinatam Ecclesiam, debet simul credere hanc Ecclesiam habere determinatum caput morale, quo mysticè constat. Unde in Bulla Martini V. quæ habetur in Concilio Constantiensi, inter eas interrogationes quæ faciendæ sunt suspensis in fide, ad indagandum, an sint hæretici vel non: ponitur ista: *Utrum credant quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus proprio nomine expresso, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei?* Quæ verba intelligi nequeunt de veritate illius propositionis in communi, quod omnis ritè electus est Summus Pontifex, vel quod Ecclesia ali-quod caput visibile habere debeat, sed in particulari de eo qui pro tempore est Pontifex, exprimendo nomen proprium, v. g. Clementem IX. Supponit ergo Pontifex, fide divinâ credendum esse, hunc hominem legitimè electum agnoscit & recipit, esse Summum Pontificem: utpote cum per negationem vel affirmationem illius quod est tantum de fide humana, discerni nequeat hæreticus à Catholico, & cum admittere id quod per discursum ex principiis fide divinâ creditis inferitur, non sit credere, sed conclusioni Theologicæ præbere assensum, ut in disputatione præcæmiali ad totam Theologiam, declaravimus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

109. **O**bjicies primò: Ut aliquid sit immediatè de fide, necesse est quod immediatè à Deo revelatum sit: Sed non est immediatè revelatum à Deo, quòd Clemens IX. sit verus Papa: Ergo hoc non est immediatè de fide. Major constat, Minor verò probatur. Quæ immediatè à Deo revelata sunt, habentur vel in Scriptura vel in traditione: At nullus Scripturæ locus, nec ulla traditio divina assignari potest, quæ mentionem faciat illius propositionis: *Clemens IX. est verus Papa*: Ergo illa non est immediatè revelata à Deo.

110. Respondeo concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, hanc veritatem immediatè à Deo revelatam fuisse, revelatione illâ universali, quæ ex una parte Deus revelavit quod potestas summa Petro collata, transfusa est ad successores legitimos; & ex alia Ecclesiam universalem nunquam in rebus fidei erratorem, cum sit columna & firmamentum veritatis: in illis enim propositionibus universalibus à Deo revelatis, continetur formaliter, & ut pars in suo toto, ista: Hic numero Pontifex, quem ut ritè electum acceptat Ecclesia, est verus Pontifex.

111. **U**t hoc magis declaretur, & solvatur instantia quæ posset fieri contra hanc solutionem: Notandum est cum P. Dominico à S. Trinitate, suprâ citato: aliqua revelata fuisse à Deo in genere, ad hoc ut crederentur in genere, ejusmodi sunt, Deum omnia posse quæ non involvunt contradictionem, & similia: hæc enim fideles non tenentur credere in individuo, v. g. nemo tenetur ad credendum quod Deus possit talem vel talem creaturam producere; sed sufficit quod in communi & generaliter credat, Dei potentiam esse infinitam, & ad id omne quod factibile est posse se extendere. Alia verò Deus revelavit in genere, ad hoc ut crederentur in specie & in individuo, ejusmodi sunt ista: Quodlibet universale Conci-

Tom. IV.

112. **A**lium legitimè congregatum, totamque Ecclesiam repræsentans, verum est, & obligat fideles ut ejus definitiones recipiant. Quilibet Pontifex ritè electus, & ab Ecclesia acceptatus, verus est Pontifex, successor Petri, ac Vicarius Christi. Istæ enim generales revelationes obligant fideles ad assensum individualem circa tale Concilium in particulari ab Ecclesia receptum, v. g. Nicænum, vel Tridentinum; & ad credendum hunc numero Pontificem ritè electum, & ab Ecclesia acceptatum, v. g. Clementem IX. esse verum Pontificem; quia universalis Ecclesiæ acceptatio substituitur collectioni omnium revelationum individualium, quas non expediebat Deum facere: vel ut ait prædictus Author, vox Ecclesiæ est quasi nova quædam locutio Dei, vel potius explicatio & complementum locutionis divinæ, per quam intelligitur ipsemet Deus revelare hoc objectum in individuo, quod nimirum hic numero Pontifex ritè electus, sit verus Pontifex.

Objicies secundo: Ut sit de fide immediatè, hunc numero hominem esse verum Papam, debet esse certum quod sit capax talis dignitatis: Sed non est certum talem hominem esse subiectum capax Pontificiæ dignitatis: Ergo non est de fide, saltem immediatè, quod sit verus Papa. Major constat, Minor verò probatur. Ut electus in Summum Pontificem sit capax hujus dignitatis, debet esse validè baptizatus: Sed non est certum tali certitudine cui non possit subesse falsum, quod fuerit validè baptizatus, maximè cum non habeatur certitudo de intentione ministri qui ipsum baptizavit: Ergo non est certum tali certitudine cui non possit subesse falsum, talem hominem esse subiectum capax Pontificiæ dignitatis.

Confirmatur: Si in Papam eligatur aliquis qui non est Episcopus, consequenter ad sui electionem consecratur in Episcopum: non est autem magis certum, cum in tali consecratione suscipere characterem Episcopalem, quàm reliquos Episcopos: Ergo sicut hoc non est certum tali certitudine cui non possit subesse falsum de aliis Episcopis, ita nec de eo qui electus est in Summum Pontificem, & acceptatus ab Ecclesia.

Respondeo ad objectionem, distinguendo Majorem: Ut sit certum de fide immediatè quod hic numero homo est verus Papa, debet esse certum quod sit capax talis dignitatis, certitudine fidei, nego: hoc enim se habet duntaxat per modum prærequisiti & dispositionis ut aliquis acceptetur in Summum Pontificem ab Ecclesia. Certitudine consequentiæ Theologicæ, subdistinguo: Consequenter ad ipsam acceptionem Ecclesiæ, conceditur. Antecedenter ad illam, negatur: tunc enim solâ morali certitudine hoc certum est.

Explicatur solutio: Antequam aliquis acceptetur ab Ecclesia in Summum Pontificem, non nisi morali certitudine constet Ecclesiæ, quòd sit subiectum capax talis dignitatis, quòd sit validè baptizatus &c. quia tamen hæc conditio necessariam habet connexionem cum ista propositione: *Acceptatus ab Ecclesia in Summum Pontificem, est verus Papa*, sit inde quod consequenter ad acceptionem Ecclesiæ certum sit, certitudine non quidem fidei immediatè, sed conclusionis Theologicæ, quod acceptatus sit verè baptizatus, & subiectum capax Pontificiæ dignitatis; quæ enim connexionem necessariam habent cum veritate de fide, non sunt quidem immediatè de fide, ut patet de risibilitate Christi, necessariò connexa cum ipsius humanitate, sed tamen rectè per con-

Qo

sequentiam Theologicam ex ea inferuntur. Et per hoc patet ad confirmationem, negatur enim consequentia & paritas. Ratio disparitatis est, quia cum alij Episcopi non sint regula suprema fidei, subindeque nec ut tales acceptentur ab Ecclesia, quod sint valide consecrati, non est aliquid necessariam connexionem habens cum veritate fidei; sicut necessariam connexionem habet cum veritate fidei, quod acceptatus ab Ecclesia pro regula suprema fidei, sit vel fuerit valide consecratus in Episcopum.

116. Obijcies tertio: Qui negaret hunc numero Romanum Pontificem esse Petri successorem, modo non negaret legitime electum esse Petri successorem, non esset hæreticus, sed tantum schismaticus: Ergo non est de fide hunc numero Romanum Pontificem, v. g. Clementem IX. esse verum Papam, ac legitimum Petri successorem.

117. Respondent aliqui, negando Majorem: Cum enim ille qui negaret Clementem IX. esse verum Pontificem, ac legitimum Petri successorem, non solum scinderet unitatem Ecclesie, dividendo eam à suo capite visibili, sed etiam negaret habendum pro regula fidei illum quem Ecclesia acceptavit pro tali regula, schismatici dogma contrarium fidei superadderet, nimirum quod Ecclesia errare possit in rebus ad fidem pertinentibus acceptandis. Unde tunc maxime haberet locum id quod docet D. Hieronymus super caput 3. ad Titum, & post ipsum D. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. ad 3. *Nullum schisma esse, quod non sibi aliquam hæresim coniungat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Hæc solutio probabilitate non caret; communiter tamen alij respondent, quod ille qui negaret hunc numero Romanum Pontificem, esse verum Papam, non haberetur pro hæretico, sed tantum pro schismatico; quia non constat inter omnes Catholicos id esse de fide, sed plures id negant, existimantes morali tantum certitudine id constare.

118. Obijcies quarto: Si quæ esset ratio ob quam de fide divina, etiam immediate verum esset, hunc hominem in particulari, esse verum Papam, maxime certitudo quæ de illa veritate necessaria est Ecclesie: Sed certitudo quæ necessaria est Ecclesie de tali veritate, non requirit quod sit immediate de fide: Ergo &c. Major constat, Minor vero probatur. Non minus necessaria est Ecclesie certitudo validitatis Sacramentorum in particulari, v. g. huius numero Baptismi, huius numero Eucharistie, quam certitudo huius numero Papæ; æquæ enim illa videtur necessaria ad salutem, ac ista: Sed non est de fide hoc numero Baptisma esse validum, hanc numero Eucharistiam five hostiam esse consecratam: Ergo idem dicendum est de hoc numero Pontifice.

119. Confirmatur: Sicut necessarium est ad bonam gubernationem Ecclesie, quod sit summus Pontifex; ita necessarium est quod sint alij veri Prælati, Episcopi & Archiepiscopi: Sed ad bonam gubernationem Ecclesie sufficit quod de istis in particulari moralem certitudinem habeamus, quæ est secundum prudentiam humanam: Ergo & de Summo Pontifice in particulari.

120. Respondeo negando Minorem, ad cuius probationem in primis dico, quod si daretur unica solum hostia ritè consecrata successivè, quæ ab universali Ecclesia deberet adorari, sicut datur successivè unus Pontifex legitime electus, cui tanquam capiti debet uniri; autoritate Ecclesie nobis constaret de fide, non solum sub omni ho-

stia ritè consecrata, sed etiam sub hac in particulari contineri verum Christi corpus; sicut ejusdem autoritate constat nobis, non solum in communi omnem Pontificem ritè electum esse verum Pontificem, sed etiam hunc numero pro tempore existentem, ubi semel illum tanquam legitime & canonicè electum acceptavit.

Resp. negando paritatem in Majori contentam; Ratio vero disparitatis est, quia hoc numero Baptisma, vel hæc numero hostia, non est regula fidei, sicut hic homo in particulari, cujus electio in Summum Pontificem valida acceptatur & declaratur ab Ecclesia: hinc enim fit quod major debeat esse certitudo istius propositionis: *Clemens IX. est verus Papa*, quam illius: *Hæc numero hostia est verè consecrata*; imò quod debeat esse certitudo fidei, alias enim impossibile esset concipere quod ea quæ per talem regulam definiuntur, sint certa certitudine fidei. Et per hoc patet ad confirmationem, alij enim Prælati non sunt, sicut Summus Pontifex, regula infallibilis nostræ fidei.

Dices, hoc numero Concilium generale, Nicænum v. g. est regula infallibilis fidei, utpote cum omnia ad fidem pertinentia, quæ in eo sunt determinata, sint immediate de fide; & tamen quod fuerit verum Concilium, non pertinet, immediate saltem, ad fidem, quia hoc dependet ex historiis dicentibus illud Concilium revera existisse aliquando, & fuisse legitime congregatum: quæ historiæ cum sint purè humanæ, nequeunt causare assensum fidei divinæ, sed solum humanæ: Ergo similiter, licet hic numero Pontifex sit regula infallibilis fidei nostræ, non tamen sequitur quod sit immediate de fide, eum esse verum Papam.

Respondeo negando secundam partem Antecedentis, ut enim veritates definitæ in Concilio Nicæno sint immediate de fide, oportet quod fideles certi sint certitudine fidei de earum revelatione, subindeque & de legitima ipsarum definitione; quandoquidem ideo solum de revelatione alicujus veritatis certi sumus, quia Ecclesia, five Concilium generale, legitime declarat & determinat illam esse revelatam: impossibile autem omnino est, quod certitudinem fidei divinæ habeamus de definitione legitima alicujus veritatis, nisi eandem certitudinem habeamus de existentia & autoritate Concilij à quo determinata fuit. De fide ergo est, etiam immediate, Concilium Nicænum fuisse verum Concilium. Ad probationem in contrarium, nego quod veritas Concilij Nicæni dependeat ab historiis purè humanis, dependet enim ex successiva & continua traditione ipsius Ecclesie, quæ licet historica sit, non tamen purè humana, quia Ecclesia in ejusmodi traditione specialiter & infallibiliter à Spiritu Sancto dirigitur, sicut in aliis rebus ad fidem pertinentibus.

Obijcies ultimò: Non est de fide, saltem immediate, quod electio huius numero Pontificis fuerit valida: Ergo nec quod ipse sit verus Papa. Consequentia patet, cum enim non sit verus Papa, nisi sit legitime electus, ut sit immediate de fide quod sit verus Papa, debet esse immediate de fide quod fuerit legitime electus. Antecedens vero probatur. Non est de fide, saltem immediate, istos numero electores talis in particulari Pontificis, esse legitimos & veros Cardinales, habuisse validam intentionem eligendi, servatam fuisse formam juridicam electionis, in eo consistentem, quod à duabus partibus Cardinalium, qui dicitur Pontifex, sit electus: has, inquam, &

alias circumstantias, sine quibus electio est nulla, servatas fuisse, non est de fide; quandoquidem id non constat Ecclesiæ ex aliqua speciali revelatione, ex Scriptura, vel traditione divina, sed solum ex testimonio ipsorum electorum promulgantium electionem.

124. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: quamvis enim non sit verus Papa, nisi sit legitime electus, quia tamen legitima electio est quid prærequiritur ad eam definitionem quâ Ecclesia declarat hunc numero hominem esse verum Papam, & fides non versatur circa ea quæ ad definitionem prærequiruntur, sed solum circa ipsam definitionem: illa propositio, *Clemens IX. rite electus est in Summum Pontificem*, non est immediatè de fide, sed solum ista: *Clemens IX. est verus Summus Pontifex*. Quod explicatur à simili: sicut enim in definitionibus Summi Pontificis, fides non est de iis quæ ad tales definitiones prærequiruntur, videlicet de eo quod præcesserit diligens inquisitio aut disputatio circa propositiones definitas, sed solum facta definitione, rectè inferitur per consequentiam Theologicam, omnia prærequisita ad definitionem posita fuisse, atque adeo disputationem & inquisitionem diligentem, eam præcessisse; fides verò ipsa est duntaxat de ipsis definitionibus. Ita in definitione sive declaratione Clementis IX. in Summum Pontificem, ab Ecclesia facta, id quod immediatè est de fide, non est aliquid ex prærequisitis ad eam, quale est quod fuerit legitime electus, sed solum ipsa definitio, seu declaratio, & illud quod per eam declaratur, nimirum Clementem IX. esse verum Pontificem, quamvis ex hoc rectè inferatur per discursum Theologicum, electionem talis Pontificis fuisse validam; subindeque ista propositio, *Clemens IX. rite electus est in Summum Pontificem*, sit certa certitudine Theologica, cui non potest subesse falsum.

ARTICVLVS V.

Sacrae successionis Romanorum Pontificum Series.

125. AD complementum hujus disputationis, placuit hic sacrae successionis Romanorum Pontificum seriem proponere, tum ad solvenda aliqua sectariorum argumenta contra illam fieri solita, tum maxime, quia hæc successio tanti semper æstimata est à SS. Patribus, ut D. Augustinus in Ecclesia Catholica per eam se retineri fateatur lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. *Tenet me* (inquit) *ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascentes oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum*. Quod si hoc asseruit S. Doctor de continua quadraginta tantum Pontificum, qui usque ad ejus tempora numerabantur, successionem, quid si illam vidisset protractam supra numerum ducentorum triginta trium Pontificum, & à D. Petro Apostolorum Principe, usque ad Clementem IX. qui nunc feliciter Ecclesiam regit, durasse? Cæterum cum innumeri ferè historici tam electionis quam obitus uniuscujusque Pontificis, nec non res ab illo gestas, accuratè conscripserint, hic tantum illorum Catalogum per unumquodque sæculum breviter conteximus, cum aliquibus observationibus, quas P. Dominicus à S. Trinitate subjungit tomo 3. Bibliothecæ Theologicæ.

Tom. IV.

I. Sæculum.

1. D. PETRVS Apostolorum Princeps.
2. Linus Hetruscus.
3. Cletus Romanus.
4. Clemens Romanus.

Hic statim occurrit dubium, quis immediatè Divo Petro successerit, aliqui enim volunt fuisse Clementem, ita ut Linus & Cletus Summi Pontifices non fuerint, sed tantum Petri coadjutores, ob idque inter Episcopos Romanos annumerentur, quæ sententia licet habeat plures alicujus etiam notæ patronos, probabilior tamen est opposita, quæ docet Linum Petro, Lino Cletum, ac tandem huic Clementem successisse, de qua vide Baron. ad annum Christi 69.

II. Sæculum.

5. Anacletus Atheniensis.
6. Evaristus Syrus.
7. Alexander Romanus.
8. Sixtus I. Romanus.
9. Telephorus Græcus.
10. Higinus Atheniensis.
11. Pius I. Aquileiensis.
12. Anicetus Syrus.
13. Soter Campanus.
14. Eleutherius Græcus.
15. Victor I. Afer.
16. Zepherinus Romanus.

III. Sæculum.

17. Calixtus I. Romanus.
18. Urbanus I. Romanus.
19. Pontianus Romanus.
20. Antherus Græcus.
21. Fabianus Romanus.
22. Cornelius Romanus.
23. Lucius Romanus.
24. Stephanus I. Romanus.
25. Sixtus II. Græcus.
26. Dionysius I. Græcus.
27. Felix I. Romanus.
28. Euthychianus Thuscus.
29. Caius Dalmata.
30. Marcellinus Romanus.

IV. Sæculum.

31. Marcellus I. Romanus.
32. Eusebius Græcus.
33. Melchiades Afer.
34. Sylvester I. Romanus.
35. Marcus Romanus.
36. Julius I. Romanus.
37. Liberius Romanus.

Hujus Papæ anno sexto, quo ob incautam cum Arrianis habitam communicationem, Roma abire debuit, electus est in Papam Felix II. Sed cum unicum annum, & tres menses duntaxat sedisset in Cathedra, factione Imperatoris Constantij Arriani occisus, Martyr occubuit. Quia autem post ejus obitum Liberius Papa in locum suum restitutus est, multisque annis postea in Cathedra sedet: Veteres Felicem istum, tanquam illegitimè priore Pontifice adhuc vivente electum, non posuerunt in ordine Summorum Pontificum; sed qui refe-

O o ij

runt, hic incipiunt numerum Paparum uno augere; de quo vide Cardinalem Baronium ad annum Christi 357. tomo 3. Annalium.

- 38. Felix II.
- 39. Damasus Hispanus.
- 40. Siricius Romanus.
- 41. Anastasius Romanus.

V. Seculum.

- 42. Innocentius I. Albanus.
- 43. Zozimus Capadox.
- 44. Bonifacius I. Romanus.
- 45. Sixtus III. Romanus.
- 46. Leo I. Magnus Romanus.
- 47. Hilarius Sardus.
- 48. Simplicius Tiburtinus.
- 49. Felix III. Romanus.
- 50. Gelasius I. Afer.
- 51. Anastasius II. Romanus.
- 52. Symmachus Sardus.

VI. Seculum.

- 53. Hormisdas Italus Campanus.
- 54. Joannes I. Hetruscus.
- 55. Felix IV. Beneventanus.
- 56. Bonifacius II. Romanus.
- 57. Joannes II. Romanus.
- 58. Agapetus Romanus.
- 59. Silverius Campanus.
- 60. Vigilius Romanus.
- 61. Pelagius Romanus.
- 62. Joannes III. Romanus.
- 63. Benedictus I. Romanus.
- 64. Pelagius II. Romanus.
- 65. Gregorius I. Magnus Romanus.

VII. Seculum.

- 66. Sabinianus Thufcus.
- 67. Bonifacius III. Romanus.
- 68. Deodatus, vel Deusdedit Romanus.
- 69. Bonifacius IV. Neapolitanus.
- 70. Honorius I. Campanus.
- 71. Severinus Romanus.
- 72. Joannes IV. Dalmata.
- 73. Theodoretus I. Hierosolymitanus.
- 74. Martinus I. Tudertinus.
- 75. Eugenius I. Romanus.
- 76. Vitalianus Signinus.
- 77. Adeodatus Romanus.
- 78. Domnus, vel Domnio Romanus.
- 79. Agatho Panormitanus Siculus.
- 80. Leo II. Catinensis Siculus.
- 81. Benedictus II. Romanus.
- 82. Joannes V. Antiochenus Syrus.
- 83. Conon, vel Cuno Thrax.
- 84. Sergius I. Antiochenus Syrus.

VIII. Seculum.

- 85. Joannes VI. Græcus.
 - 86. Joannes VII. Græcus.
 - 87. Sisinnius Antiochenus Syrus.
 - 88. Constantinus Syrus.
 - 89. Gregorius II. Romanus.
 - 90. Gregorius III. Syrus.
 - 91. Zacharias I. Græcus.
 - 92. Stephanus II. Romanus, à nonnullis omis-
- sus quia die tertiâ obiit.

- 93. Stephanus III. Romanus.
- 94. Paulus I. Romanus.
- 95. Stephanus IV. Siculus.
- 96. Hadrianus I. Romanus.
- 97. Leo III. Romanus.

IX. Seculum.

- 98. Stephanus V. Romanus.
- 99. Paschalis I. Romanus.
- 100. Eugenius II. Romanus.
- 101. Valentinus Romanus.
- 102. Gregorius VI. Romanus.
- 103. Sergius II. Romanus. Aliqui hunc primum

B fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen sibi mutaverit, eò quòd Os-
porci dictus, nomen indecens tanto Sacerdotio
visus esset habere; verum id ad Sergium IV,
pertinere dicemus infra.

- 104. Leo IV. Romanus.
- 105. Benedictus III. Romanus.
- 106. Nicolaus I. Magnus Romanus.
- 107. Hadrianus II. Romanus.
- 108. Joannes VIII. Romanus.
- 109. Marinus I. Gelasianus Faliscus.
- 110. Hadrianus III. Romanus.
- 111. Stephanus VI. Romanus.
- 112. Formosus Portuensis.

C Post hunc Papam Onuphrius, & alij po-
nunt Bonifacium VI. Romanum, quem ta-
men Cardinalis Baronius negat pro legitimo
habitu, quòd Sedem invaserit violenter, &
dies duntaxat quindecim detinuerit, eiectus à
Stephano sequenti.

- 113. Stephanus VII. Romanus.
- Hic etiam Onuphrius, & alij alij subjun-
gunt Romanum quemdam Hetruscum, cujus
Cardinalis Baronius prorsus non meminit.
- 114. Theodoretus II. Romanus.
- 115. Joannes IX. Tiburtinus.
- 116. Benedictus IV. Romanus.

X. Seculum.

- 117. Leo V. Ardeatinus ex Latio.
- 118. Christophorus I. Romanus, qui creatus
Papa 8. Kalendas Julij anno Christi 907. invi-
tus debuit cedere Pontificatu 9. Kalendas Ja-
nuarii anno Christi 908.
- 119. Sergius III. Romanus.
- 120. Anastasius III. Romanus.
- 121. Lando Sabinus.
- 122. Joannes X. Archiepiscopus Ravennas.
- 123. Leo VI. Romanus.
- 124. Stephanus VIII. Romanus.
- 125. Joannes XI. Romanus.
- 126. Leo VI. Romanus.
- 127. Stephanus IX. Romanus.
- 128. Martinus II. Romanus.
- 129. Agapetus II. Romanus.
- 130. Joannes XII. Romanus. Primus hic in-
ventus ex Baronio qui mutavit sibi nomen,
ut qui ex Octaviano, voluerit nominari
Joannes.

Hic interfert Onuphrius Leonem octa-
vum, Benedictum autem V. sequentem ob-
mittit; sed Cardinalis Baronius contra osten-
dit, Leonem istum illegitimè electum, Joan-
ne XII. adhuc vivente; Benedictum verò le-
gitimè electum fuisse post obitum Joannis.

- 131. Benedictus V. Romanus.

132. Joannes XIII. Romanus.
133. Dominus II. vel Dominio Romanus.

134. Benedictus VI. Romanus.
Hic etiam interferit Onuphrius Bonifacium VII. quem tamen Cardinalis Baronius tanquam violentum in valorem Pontificatus, negat in ordine Pontificum collocatum fuisse ab antiquioribus.

135. Benedictus VII. Romanus.
136. Joannes XIV. Papiensis.
137. Joannes XV. Romanus.
138. Gregorius V. Germanus Saxo.
139. Silvester II. Aquitanus Gallus.

XI. *Sæculum.*

140. Joannes XVIII. Romanus; cur omittantur in numero Joannes XVI. & XVII. vide Cardinalem Baronium tomo II. Annalium ad annum Christi 1003.

141. Sergius IV. Romanus. Ab aliquibus tribuitur primum huic Pontifici nominis mutatio, quod prius Os-porci, vel Buccaporci diceretur: verum jam notavimus supra id primum in Joanne XII. contigisse; neque id præstitit hic Sergius ob turpitudinem nominis, sed culminis Apostolici reverentiam, cum Petrus antea vocaretur.

142. Benedictus VIII. Romanus, ex Tusculanis.
143. Joannes XIX. Romanus, dictus XX. ab alijs.
144. Benedictus IX. Romanus.
145. Gregorius VI. Romanus.
146. Clemens II. Germanus Saxo, primus usus gentilitiis insignibus.
147. Damasus II. Germanus Bavarus.
148. Leo IX. Germanus ex Franconia.
149. Victor II. Germanus.
150. Stephanus X. Lotharingus.
151. Nicolaus II. Episcopus Florentinus eligitur contra Papam Benedictum X. Pseudo-papam, eoque pulso consecratur Romæ.
152. Alexander II. Mediolanensis.
153. Gregorius VII. Hetruscus, antea Hildebrandus dictus.
154. Victor III. Beneventanus.
155. Urbanus II. Gallus.
156. Paschalis II. Thuscus.

XII. *Sæculum.*

157. Gelasius II. Cajetanus.
158. Calixtus II. Burgundius.
159. Honorius II. Bononiensis.
160. Innocentius II. Romanus.
161. Cælestinus II. Thuscus.
162. Lucius II. Bononiensis.
163. Eugenius III. Pisanus.
164. Anastasius IV. Romanus.
165. Hadrianus IV. Anglus.
166. Alexander III. Senensis.
167. Lucius III. Lucanus.
168. Urbanus III. Mediolanensis.
169. Gregorius VIII. Beneventanus.
170. Clemens III. Romanus.
171. Cælestinus III. Romanus, in hoc definit tomus II. Annalium Cardinalis Baronij.
172. Innocentius III. Anagninus.



Tom. IV.

A

XIII. *Sæculum.*

173. Honorius III. Romanus.
174. Gregorius IX. Anagninus.
175. Cælestinus IV. Mediolanensis.
176. Innocentius IV. Genuensis. Hic primus inter Pontifices purpureo pileo Cardinales exornavit.
177. Alexander IV. Anagninus.
178. Urbanus IV. Trecensis Gallus.
179. Clemens IV. Narbonensis Gallus.
180. Gregorius X. Placentinus.
181. Innocentius V. Burgundus, Ordinis Prædic.
182. Hadrianus V. Genuensis.

B

183. Joannes XX. Lusitanus; mirantur aliqui cur iste Joannes dici voluerit XXI. cum nullus præcesserit XX.
184. Nicolaus III. Romanus.
185. Martinus II. Turonensis Gallus.
186. Honorius IV. Romanus.
187. Nicolaus IV. Asculanus.
188. Cælestinus V. Esuriensis, qui raro exemplo dimissa sponte Pontificiâ dignitate, ad Monasterium rediit.
189. Bonifacius VIII. Anagninus. Cardinalibus S. R. E. purpureas vestes dedit.

XIV. *Sæculum.*

190. Benedictus X. dictus XI. Tarvisius Ordinis Prædicatorum.
191. Clemens V. Burdigalensis Gallus.
192. Joannes XXI. dictus XXII. Cadurcensis Gallus.
193. Benedictus XI. dictus XII. Fornerius.
194. Clemens VI. Lemovicensis Gallus.
195. Innocentius VI. Lemovicensis Gallus.
196. Urbanus V. Mimatenis Gallus.
197. Gregorius XI. Lemovicensis Gallus, qui reduxit Sedem ad Urbem.
198. Urbanus VI. Neapolitanus, contra quem sedit Avenione Clemens dictus VII. ante Robertus Gebenensis.
199. Bonifacius IX. Neapolitanus.

XV. *Sæculum.*

200. Innocentius VII. Sulmonensis.
201. Gregorius XII. Venetus.
Alexander V. Cretensis, vivente Gregorio XII. Nam cum in schismate contra Urbanum VI. Clementem dicto VII. successisset Benedictus XIII. & huic schismati veller Concilium Pisanum remedium abhibere, creavit Alexandrum V. Indeque tres Pontifices simul sederunt Gregorius XII. in Concilio Constantiensi postea depositus, & Alexander V. interim mortuus, & paulo post Joannes XXII. alias XXIII. Neapolitanus in Concilio pariter Constantiensi depositus.
202. Martinus III. Romanus, qui dictus est V. ab his qui nomen Martini, & Marini in serie Pontificum confundunt.
203. Eugenius IV. Venetus, contra quem sedit in Gallia Felix V. antea Amedæus Dux Sabaudie, creatus in Concilio Basileensi.
204. Nicolaus V. Lucanus.
205. Calixtus III. Valentinus Hispanus.
206. Pius II. Senensis, Aeneas Sylvius dictus.
207. Paulus II. Venetus.
208. Sixtus IV. Savonensis.

Oo iij

209. Innocentius VIII. Genuensis.

210. Alexander VI. Borgia Valentinus Hispanus.

XVI. Seculum.

211. Pius III. Senensis.

212. Julius II. Savonensis.

213. Leo X. Florentinus.

214. Hadrianus VI. Traiectensis Flander.

215. Clemens VII. Florentinus.

216. Paulus III. Farnesius Romanus.

217. Julius III. Aretinus.

218. Marcellus II. Politianus.

219. Paulus IV. Neapolitanus.

220. Pius IV. Mediolanensis.

221. Pius V. Alexandrinus, Ordinis Prædic.

222. Gregorius XIII. Bononiensis.

223. Sixtus V. ex Marchia Anconitana.

224. Urbanus VII. Romanus.

225. Gregorius XIV. Mediolanensis.

226. Innocentius IX. Bononiensis.

227. Clemens VIII. Florentinus.

XVII. Seculum.

228. Leo XI. Florentinus Medices.

229. Paulus V. Romanus.

230. Gregorius XV. Bononiensis.

231. Urbanus VIII. Florentinus.

232. Innocentius X. Romanus.

233. Alexander VII. Senensis.

234. CLEMENS IX. Pistoriensis, qui feliciter regnat.

116. Circa adductum Summorum Pontificum Catalogum, quatuor breviter observanda sunt. Primum est, ex ducentis triginta quinque Pontificibus recensitis, triginta quinque fuisse Martyres, & triginta septem Confessores, Sanctorum catalogo adscriptos. Secundum, quinquaginta duo è diversis Religioforum Ordinibus ad Pontificiam dignitatem, virtutis merito, fuisse evectos. Tertium, quatuordecim ex illis fuisse ex Gallia, quatuor ex Hispania, quatuor ex Germania, unum ex Anglia, unum è Belgio, quindecim ex Græcia, septem ex Syria, tres ex Africa, duo ex Sardinia; ceteros verò omnes, aut patriâ Romanos, aut natione Italos fuisse. Demum observandum est, nullum ex illi ducentis triginta tres Pontificibus, huc usque exæquasse dies Petri; imò aliquos fuisse, qui nec integrum mensem, sed nec hebdomadam unâ sui Pontificatus compleverint. Nam Stephanus II. dies tantum 4. in Pontificatu vixit, Urbanus VII. dies 7. Bonifacius VI. dies 15. Cælestinus IV. dies 17. Sisinus dies 20. Marcellus II. dies 21. Damasus II. dies 23. Pius III. dies 26. Leo XI. dies 27. Cujus rei piam & egregiam assignat rationem Petrus Damianus opusculo 23. cap. 1. ubi Alexandrum II. sic alloquitur: *Aliquando à me sollicitè requisisti, quæ mihi causa videretur, cur Apostolicæ Sedis Antistes nunquam diutius vivat, sed intra breve temporis spatium diem claudat extremum, adeo ut post B. Petrum Apostolum, qui per quinque circiter annorum lustra præsedet, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spatium præsulatus æquaverit: modernis imò temporibus, vix quispiam in prædicta Sedis culmen evehitur, qui metam quatuor, vel ut multum, quinque transcendat annorum? Quod considerantibus prodigialis, ut ita loquar, stupor oboritur, quoniam hæc breviter vivendi necessitas, quantum ad nostram notitiam, in*

A nulla alia orbis Ecclesia reperitur. Sed inquantum mortalibus divine dispensationis revelatur arcana, videtur nobis, quod idcirco hoc iudicij celestis ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat, & quam despicienda sit temporalis vita gloria, in ipso gloria principatu, evidenter ostendat; quatenus dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocetur, & arbor humani generis, dum cacumen ac verticem suum tam facile corruisse considerat, statu concussa formidinis, in suis undique ramusculis contremiscat.

Hanc Pontificatus breviter diligenter inculcat D. Bernardus Epist. 237. ad Eugenium scribens: *In omnibus operibus (inquit) memento te esse hominem, & timor ejus qui auferit spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui certissima & citissima decessione admoneant; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Fugi proinde meditatione, inter hujus præsentis gloriæ blandimenta, memorare novissima tua: quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem &c.*



DISPUTATIO V.

De Sacris Ecclesiæ Concilijs.

UT omnes fidei regulæ explicentur, de Sacris Ecclesiæ Concilijs, eorumque in rebus fidei determinandis infallibilitate, superest nobis breviter disserendum. Unde sit

ARTICULVS PRIMVS.

Vtrum Concilium generale, legitime congregatum, & celebratum, in determinando res fidei errare nequeat, subindeque sit regula infallibilis nostræ fidei?

§. I.

Quibusdam præmissis, Catholica veritas statuitur.

SVppono primò, Concilium sic definiti posse, *E* Congregatio primorum Ecclesiæ sub uno certo capite, ad controversias fidei definiendas, legesque universales ad totius Ecclesiæ mores spectantes condendas. Dicitur Congregatio primorum, quia ad Concilium vocari non debent, nisi principales Ecclesiæ prælati, cujusmodi sunt Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ, qui soli in eo jus suffragij habent; Abbates verò & Generales Religionum, non nisi ex privilegio & concessione Pontificum illi intersunt. Vocantur etiam ad illud Theologi & Doctores, non ad ferendum suffragium, sed ad disputandum & causas fidei examinandas. Subditur sub uno capite, quia non est Concilium, sed conciliabulum, quod non est congregatum sub uno certo capite & Pastore Ecclesiæ. Additur: *ad controversias fidei definiendas,*